PHILIPPI BONAMICII OPERA OMNIA: 1. PHILIPPI BONAMICII...

Filippo Buonamici

Q. 8.



PHILIPPI BONAMICII

OPERA OMNIA.

PHILIPPI BONAMICII

SCRIPTORUM

PARS PRIMA

QUA

De Cl. Pontificiar. Epistolar. Scriptoribus
Liber tum de Jo. Vinc. Lucchesinii et de
Castruccii Fr. Vita Commentarii

CONTINENTUR.

ADCEDIT AUCTORIS VITA.

LUCÆ MDCCLXXXIV.

Typis Josephi Rocchii
CENSORIBUS ADPROBANTIBUS.

FRANCISCO HERZAN
DE HARRAS

PRESB. CARDINALI TIT. SS. NER. ET ACHILL. MARTIRR. EQUITI S. STEPHANI REGIS HUNGARORUM ORDINIS PRIMI PATRONO S. R. I. PROVINCIARUM REGNORUMQUE AUSTRIACORUM CONSILIARIO AB IMPERII NEGOCIIS INTIMO IMPERATORIS JOSEPHI II. F. AUG. ET LEGATO EJUSDEM AD PIUM VI. PONTIFICEM MAXIMUM

JOSEPHUS ROCCHIUS TYPOGRAPHUS LUCENSIS

S. P. D.

IN tuo nomine, CARDINALIS AMPLISSIME, apparent Philippi

Bonamicii, Clarissimi Civis mei, Scripta, quæ nunc primum omnia simul meis typis eduntur: quod quidem Tibi jucundum, Libris ipsis perhonorificum, mihi quam accommodatum maxime censeo. Quem enim singulari amore complecti, cujusque ingenio valde delectari, cum viveret, solitus eras, ejus certe hominis præclara opera (quæ Tua sapientia & humanitas est) gaudere debes, quod tuo nomine insignita in manus veniant hominum eruditorum. Quamquam au-

tem & rebus ipsis, & cumprimis stylo, quod veram referat latinitatem, omnium ore celebrantur; quisque tamen facile intelligat, iisdem plurimum ex eo splendoris additum, quod Te Patronum præseferunt talem tantumque Virum. Atque hic in dignitatem, atque amplitudinem Tuam quum attentius intuerer, reliqua minoris equidem ducebam: illud maximi faciendum puto, quod virtute ac doctrina Tibi ipse ad istos honoris gradus aditum aperueris. Plerique enim fortunam

ducem ſequuntur, virtutem vix, ac ne vix quidem comitem adhibent: Tu contra (quod pauciſſimorum quum ſit, præſtantiſſimum haberi debet) una duce virtute ſemper uſus, fortunæ vel nihil debes, vel ſi quid dandum ſit, comitis locum nomenque concedas. Qua in re adeo ſeveram Tibi legem dixiſti, ut quum avitæ nobilitatis, & clariſſimarum adfinitatum commendatione adſcenſum Tibi ad ea, quæ ſumma ſunt, parare facillimum poſſes, hoc ipſum domeſticum præſi-

dium

dium ad præmia virtuti debita adipiſcenda, nunquam, ad ipſius virtutis incitamentum vel ab ipſa pueritia adhibueris. Quod igitur poſt exactum in Romano Germanæ gentis Collegio divinarum diſciplinarum curriculum, juris cum civilis, tum pontificii ſcientia egregiè excultus XIIvir urbanus Sacri Conſilii litibus judicandis, nominatione Imp. Joſephi II. Fel. Aug. a Clemente XIV. Pontif. Max. factus es; quod illo ipſo tempore Tibi uni Maria Tereſia Auguſta, Tuæ-

que fidei credidit quidquid aut gravius, aut arcanum magis incideret cum Pontifice Maximo expediendum; quod ejuſdem Mariæ Tereſiæ Auguſtæ nominatione a Pio VI. Pont. Max. Romana Purpura extra ordinem ornatus es; quod Sacri Romani Imperii, Regnorumque omnium Auſtriacorum curam Tibi cum Matre Auguſta Filius Auguſtus unanimi conſenſione detulit; quod Te potiſſimum Legatum ſuum ad Pontificem Maximum tantus Imperator delegerit,

tam-

tamque insigni honoris accessione priora illa ornamenta cumulata esse voluit, hæc, inquam, omnia gravissima certe sunt, ac verissima de Tuis virtutibus meritisque judicia. Sed me de laudibus Tuis plura scribere cupientem Tuus iste revocat pudor, quo fieri interdum audio, ut mitissimus quum sis, in eos, qui Tua prædicant, paullo vehementius commovearis. Quare ad illud potius descendam, quod tertio loco posui, mihi peropportunum accidere, in Tuo nomine li-

bros emitti. Nam ſi induſtriam, ſi laborem, ſi operam denique meam Tibi, CARDINALIS AMPLISSIME, probari conſtiterit, doctis omnibus probatum iri certo ſcio. Vale.

Lucæ Calendis Maii ann. MDCCLXXXIV.

JO-

JOSEPHI ROCCHII TYPOGRAPHI

PRÆFATIO.

Quod a Typographo Lucensi jure ac merito exigi posse videbatur, ut Clarissimorum Fratrum PHILIPPI *&* CASTRUCCII BONAMICIORUM *Lucensium Scripta simùl omnia ederentur; id mihi, vixdùm* PHILIPPO BONAMICIO, *magnâ literarum jacturâ, vitâ functo, constitutum fuisse profiteor. Nam in tanto typographicæ artis ardore, in tanto Librorum undiquè confluentium concursu quid potius facere debuissem, quam & Patriæ, & literis unâ editione consulere? Siquidem Typographi est rem literariam nunquam non juvare; Civis est Patriæ commoda & ornamenta curare quamdiligentissimè. Quamobrem quum duorum Civium doctissimorum Scripta, prospicerem, ne dispersa intereant, sed magno semper usui, magnæque utilitati esse possint, planè videbam & boni me Civis, & non inutilis Typographi perfuncturum officio. Neque verò hîc a me expectari arbitror, ut de horum Scriptorum præstantiâ disseram, eosque Viros quasi ostendam, quos virtus, admirabilisque cumprimis latinè scribendi facultas jampridem in illustri loco posuit: quoniam sæpè inter doctos constare intellexi, neminem unum post latinitatis, ut ita dicam, occasum vel* PHILIP-

PO

PO de Claris Pontificiarum Epistolarum Scriptoribus, vel CASTRUCCIO scribenti de Rebus ad Velitras Gestis anteferendum omninò esse. Quæ quidem laus si magna in unoquoque censeri debet, maxima certe in utroque Fratre, maxima in Familiâ Bonamiciâ existimanda est: quandoquidem in qua laude si unus, vel alter in Civitate excellat permagni habetur, in eâ duos ex eâdem familiâ eodemque tempore ita floruisse, ut sapientium judicio in suo quisque genere principes extiterint, adeò singulare atque inauditum est, ut portentum videatur. Rem itaque satis deliberatam multa, quæ interponebantur, in tertium usque annum distulerunt, dum PHILIPPI Scripta conquiruntur, dum exempla invicem conferuntur atque emendantur, dum illius Vita describitur. Nam quoniam CASTRUCCII Scripta jam fuerant omnia simùl vulgata ann. MDCCLXIV. nunc a PHILIPPI Scriptis, qui etiam ætate præcesserat, initium ducendum putabam. Itaque primùm in hoc primo Volumine hujus Vitam exhibemus, quam descripsit Joannes Baptista Montecatinius, qui hæc dictabat. Tum Liber habetur De Claris Pontificiarum Epistolarum Scriptoribus, *cujus tertia hæc editio multò quidem est auctior, multisque nominibus illustrior alterâ anni MDCCLXX. quæ etiam longè uberior fuerat priore anni MDCCLIII. Nam post primam hanc fuerunt non pauci, qui BONAMICIO succenserent, propterea quòd aliquot Pontificios Scribas, qui Clari numerarentur, omninò prætermisisset, de aliis verò scriptitans jejunior visus esset, ac in quibusdam*

*busdam errore ductus putaretur. Itaque locupletiorem ipse Librum, quampluribus additis, comparavit, iterumque edidit Præfatione auctum, atque Clementi XIV. P. M. inscriptum. At non defuerunt qui etiamtum sedulitatem ejus carperent, omissis nonnullis è numero Scribarum Pontificiorum, qui eorum judicio Clari extitissent, ac quibusdam erratis vel dum alia corriguntur clàm elapsis, vel quæ nova in novam editionem irrepsissent *. Is itaque amicos homines eruditione præstantes consulere, vetera monumenta adire, Bibliothecas evolvere, omnia accuratissimè expendere, tertiam concinnare editionem. Quæ dum ab illo ob ingravescentem ætatem, multasque ac magnas occupationes tardiùs, quàm oportebat, curantur, morte, ut perficeret, præpeditus est. Enimverò præstantissimus Præsul Laurentius Prosper Bottinius, cujus ille fidei res suas moriens credidit, nihil habuit antiquius, quam ut præclarum opus omnibus numeris ac partibus absolutum rursus prodiret in lucem. Itaque quæ Bonamicius paraverat, locis, quibus oportebat, aptata fuerunt; unde Liber exstitit cujusmodi meis nunc editur typis. Multa Bonamicio eruditi viri, ac præsertim eruditissimus Laurentius Meheus suppeditaverat, quæ vel in Elogiis, vel in Notationibus locum habuerunt; nam Dialogum propter eximiam elegantiam & mundiciam orationis incor-*

* *In Diar. Literar. Florentin. ann. MDCCLXXI. Columm. 25. 117. 164. 245.*

corruptum atque integrum servare religionis instar fuit. Postea habentur in hoc Volumine Commentarii, praeclarè illi quidem conscripti, De Vità Joannis Vincentii Lucchesinii, *ac* De Vità Castruccii Fratris. *Volumen claudit locupletissimus Index Rerum Memorabilium, quae in Volumine continentur.*

JO. BAPT. MONTECATINII
DE VITA
PHILIPPI BONAMICII
COMMENTARIUS.

XIV



Steph. Tofanelli Lucen. inv. et del. Romæ 1782. *Bart. Nerici Lucæ sc.*

CUM ſemper ingenuum maximèque liberale putandum eſt doctorum hominum vitam literarum monumentis conſignare; tum id officium a Civibus in Cives exhiberi ipſa Patriæ charitas ſuadere videtur. Vix enim fieri poteſt, ut quis bonarum artium ſtudiis excellens dicatur fuiſſe, quin in qua urbe natus atque educatus ſit, ea iisdem diſciplinis florere intelligatur. Jam ſi præclaris inſtitutis, ac majorum exemplis ad eam laudem pervenire quis potuit, æquum eſt, ut idipſum poſteris præſtetur. Quæ quidem in libera Civitate Optimatumque Republicâ majorem vim habere neceſſe eſt. Nam quoniam publica, id genus, res Civium virtute ſtare, ignaviâ deſidiâque labare dignoſcitur; ejus certè magnopere intereſt Civibus ad doctrinam virtutemque comparandam aditum patefieri, viam commonſtrari, veſtigia clarorum hominum ſub oculis eſſe poſita. His de cauſſis adductus ſum, ut Civis mei PHILIPPI BONAMICII Vitam mandarem literis; qui Vir in-

ingenio, literis, doctrinâ ex humili re magna est assecutus: Nam apud suos è plebe ad Patricios transiit, qui Ordo rem unus publicam gerit; Romæ, in orbis terrarum luce, muneribus, dignitate, hominumque amplissimorum consuetudine claruit; rem verò familiarem, qua fuerat perexiguà, satis benè constituit. Neque ego si illum dixero obscuris parentibus ortum minus propterea hominis dignitati a me consultum arbitrabor: quinimmò uberior laudis ac gloriæ fructus meâ quidem sententiâ ei constitit, quam si honorem a majoribus partum cum majoribus communicaret. Cæterùm honesta illi familia, quæve in liberâ Civitate Civium jure uteretur. Eam postea ipse, ejusque Fratres quammaximè honestarunt. Cognomen, si quid ad rem attinet, sanè splendidum, atque ad literas artesque liberales cum primis pronum: namque hoc cognomento fuerunt plures anteactis temporibus doctissimi viri; quod is innuere voluisse videtur cum suam ipse *Bonamiciam Domum hominum ingenio præstan-*

stantium altricem appellavit * . Aliàs etiam quum ageret de Lazaro illo Bonamico, quem Patavii doctrinà floruisse accepimus, ait, *se nominis similitudine adductum libentiùs latinis literis studuisse, si posset Gentilis* (quod quidam eruditus Vir dixerat) *sui elegantiam & copiam assequi* **. Pater Franciscus homo frugi, quive tenui mercaturæ genere vitam transigeret. Mater Maria Felix Rigola, cujus Frater Joannes Fidelis Theologiam publicè, nec sine multâ laude profitebatur. His parentibus natus est Philippus Lucæ a. d. X. Calend. Mart. ann. MDCCV. Fratres habuit sex: E quibus Bonamicus, ac Vincentius impuberes periere; Dominicus religiosæ Prædicatorum familiæ addictus, atque Orator valdè bonus obiit ann. MDCCLXI. Petrus Josephus (aliàs Castruccius) sub Neapolis ac Siciliæ Rege Carolo militiam professus, bellisque, quibus interfuerat, non elegantèr modò, sed gravitèr, co-

* In Vitâ Castruccii Fr.

** In Dial. de Cl. Pont. Ep. Scriptorib.

piosèque descriptis magnam ingenii gloriam assecutus mortem in patriâ oppetiit VI. Calend. Mart. ann. MDCCLXI. Angelus item sub Siculis Regibus Carolo & Ferdinando stipendia meritus, Tribunusque militaris appellatus, Surrenti diem clausit extremum ann. MDCCLXXXII. Denique Vincentius Maria Romæ in juris scientiâ probè excultus suam Pontifici Maximo tribuebat operam, & quum Assisiatibus, aliisque Civitatibus proprætore præfuisset, è vivis ereptus est ann. MDCCLXXII. Tum Sorores præter Elisabethem, quæ puella occubuit, duas Religionem amplexas: Quarum prior Alma Fides Perusii è vitâ migravit; altera Catharina omnibus superstes Assisii in Franciscanâ degit familiâ. Quocircà nemo negarit, si Bonamicius Pater in reliquis minus benignâ usus esset fortunâ, in hoc certè præclarè cum illo actum esse, quod adeò præstantibus liberis auctus fuerit. Est Lucæ, Tridentinâ lege, peramplum Collegium puerorum, qui & in Templo Maximo Sacris faciundis inserviunt, & iis artibus, quibus ætas puerilis ad huma-

manitatem informari ſolet, publicè inſtituuntur. Porrò ibi Jo. Fidelis Rigola, de quo diximus, Theologiam docebat. Itaque Avunculus Sororis Filios Philippum, & P. Joſephum, quos præſtare ingenio probè noverat, in id Collegium arceſſivit; ubi magna uterque laudis fundamenta jecit. Maximè tunc temporis in eo Collegio latinæ florebant literæ, quas non minus acutè, quam eruditè, ac diligentèr tradebat Sanctes Pierottus, de quo viro ſatis puto dictum, ſi ab eo in latinâ tum eloquentiâ, tum poeſi dixero inſtitutos fuiſſe Bonamicios Fratres, atque Jacobum Baccium, virum & ipſum Morali Philoſophiâ non eleganter minus, quam gravitèr latinis mandatâ literis clarum. Fortaſsè is exierat è ludo, ac diſciplinâ Bartholomæi Beverinii Lucenſis ex eo Sacerdotum cœtu, quibus a Matre Dei nomen eſt, qui quidem anteacto Sæculo cum pauciſſimis latinè ſcribebat; ac dum cæteri plerique omnes ineptiis quibuſdam dediti minus probatos Scriptores ſequebantur, ipſe Ciceronem, ac Virgilium pervolutabat, Livium

verò imitabatur etiam præclarè. Certè in noſtrâ Civitate literarum gloriam Guidiccionum aliorumque virtute partam vel retinuit ipſe difficillimo tempore, vel communi quodam fato amiſſam reſtituit. Obiit autem IX. Cal. Novembr. an. MDCLXXXVI. ipſe annos natus LVII. quum Lucenſium Hiſtoriam luculentiſſimè latino ſcripſiſſet ſermone; & juventutem diù publicâ ſtipe egregiè optimis artibus inſtituiſſet. Sanctem itaque Philippus diligentiſſimè audiebat; tum in veterum libris legendis, atque evolvendis totus erat. Frater Caſtruccius non tam ad Præceptoris diſciplinam, quam ad ingenii quoquoversùm erumpentis impetum, raptumve mentem, ac ſtylum informabat: Ciceronem verò, ac Cæſarem dicitur nunquam de manu niſi invitus coactuſque demittere ſolitus. Philippus leni manſuetoque ingenio, acerrimo autem ſtudio ad doctoris præcepta ſcriptitans optima veterum auctorum exempla imitando exprimebat. Interdum qui propter ætatem ex ephebis excedunt, in ipſo manent Collegio pueris Præ-

fe-

fecti. Id accidit Philippo Bonamicio, qui jam Sacris erat initiatus, atque eo tempore multum operæ in Theologiæ ſtudiis Avunculo Rigolæ præſtitiſſe crediderim. Sed quoniam magna jam erat hominis in mitioribus literis fama, dignus eſt habitus qui Sancti Pierotto in ludo ſuccederet, quem ita exercuit alioquot annos, ut exſpectationem vicerit. Hoc tempore Bonamicius inter minores Sacerdotes Lucenſis Maximi Templi cooptatus fuit. Habitus eſt Lucæ ann. MDCCXXXVI. Fabio Colloredo Antiſtite Sacerdotum Conventus, ſive græco vocabulo Synodus. Renunciati ſunt iis Comitiis qui viri novis Parochis Tridentinà lege examinandis præficerentur. Atqui ejuſmodi munus nonniſi Sacerdotibus probatiſſimis, eiſdemque Theologiæ, cæterarumque Sacrarum Literarum valdè peritis demandatur. Itaque locum inter illos habuit Bonamicius, qui etiam in conſcribendis ejus Synodi actis operam navavit. Degebat tunc Romæ Joannes Vincentius Lucchesinius, qui pervetuſtà, perque amplà Lucenſi familià ortus, in-

ingenio valdè præſtans, literis unicè deditus, Demoſthenis Orationibus latinè redditis Hiſtoriâque ſui temporis egregiè conſcriptâ clarus, generis nobilitatem virtutibus illuſtrabat. Itaque doctum hominem, latineque cumprimis eloquentem Pontifex Maximus ad Pontificias ſcribendas Epiſtolas jampridem arceſſiverat. Hic autem quum undeoctoginta annos natus vehementer cuperet ſibi quempiam adjungere, Civem præſertim ſuum, qui item purè & emendatè (quod eſt latinè) ſcriberet, Bonamicium ad ſe Romam uſque vocavit, ſuumque Contubernalem voluit eſſe. Patuit inde Bonamicio ad honores aditus; patuit ad laudem, famamque nominis via; patuit curſus ad gloriam. Romæ enim in Theatro omnium nationum excellenti vir ingenio habet, quaſi in paleſtrâ, admiratores exercitationis, plauſum obtinet ſpectatorum, non caret præmio victoriæ. Atque, ut verum fateamur, hominem alienigenam humili genere natum, ac è ludo excitum, quòd plurimum literis polleat, muneribus præfici, dignitate ornari, beneficiis au-

augeri, ſacerdotiis honeſtari præclarum ac magnificum quiddam nobis videtur, quod Romanorum Pontificum, a quibus iſthæc manant, multam continet commendationem. Jam verò erat etiam in Bonamicio quædam ſuavitas morum atque ſermonis, quæ hominum benevolentiam allicit, ac in amicitiis jungendis magnam habet vim. Itaque celeritèr Luccheſinio cariſſimus fuit, optimique ac doctiſſimi Senis totum quinquennium comes & adjutor exſtitit: Nam Bonamicius ad Urbem acceſſit an. MDCCXXXIX. Luccheſinius verò è vivis ereptus eſt ann. MDCCXLIV. quo quidem tempore plurimum operæ Bonamicius Luccheſinio navavit in Pontificiis conſcribendis Epiſtolis, plurimumque laboris poſuit in hujuſmodi ſcriptione penitus cognoſcendà: Erutiſque Pontificum Epiſtolis, quæ a viris eloquentibus fuerunt exaratæ, quid præſtandum Pontificio Scriptori, quibus doctrinæ, eruditionis, prudentiæ præſidiis inſtructus, quantoque opere in dicendo ſcribendoque ad optimam veterum diſciplinam exercitatus ad id mu-

nus accedere debeat, mirificè assecutus est. Quæ quidem multo studio, ac labore præclarè cognita caussam homini dederunt, ut Dialogum illum planè egregium conscriberet *De Claris Pontificiarum Epistolarum Scriptoribus*, quem Lucchesinio vità functo ad Benedictum XIV. P. M. misit, ediditque typis Paleariniorum ann. MDCCLIII. Addidit Dialogo pleniorem notitiam illorum hominum, qui in eo munere Clari numerarentur. Liber doctis Viris probatissimus, quive in manibus omnium versatur, judicium nostrum nec exspectat, nec requirit, nec fortassè patiatur. Attamen, ut mihi satis ipse faciam, tantùm dicam, neminem Ciceronis Dialogum *De Claris Oratoribus* aut majori, aut pari felicitate imitatum fuisse; ut post latinæ linguæ auream, quam dicunt, ætatem, nihil in hoc genere elegantiùs scriptum legatur. In eo cum Lucchesinio loquentes fecit Alexandrum Furiettium, & Cajetanum Fortium, quibus amicissimis utebatur, seque ipsum quartum exhibuit. Omnis autem ejus sive artis, sive

ſive facultatis ratio, atque diſciplina ab uno prodi, ac explicari videtur Lucchefinio, qui cum in aliis, tum potiſſimùm in ejuſmodi eloquentiæ genere ſummus fuerat habitus: Cui quidèm Bonamicius alià etiàm ratione gratum ſe piumque præbuerat funebri laudatione, quam in Romano Lucenſium Templo dum illi parentaretur recitavit, poſteàque typis edidit an. MDCCXLV. ad Sylvium Cardinalem Valentium miſſam literis ſanè luculentèr ſcriptis. Ut autem ad Dialogum illum *De Claris Pontificiarum Epiſtolarum Scriptoribus* aliquantiſper redeamus, in quo quidem quidquid in Pontificii, ut ipſe vocat, Scriptoris perſonam cadere poteſt & optimè videtur agnoviſſe, & dilucidè, ac copioſè diſſeruit, magnà quidèm certè cum dignitate, illud non ſatis intelligo, cur quum eam ſcriptionem maximè ſe callere ſatis oſtendiſſet, in eo munere non fuerit adhibitus a Pontifice doctiſſimo Benedicto XIV. ad quem liber miſſus apparet, quive Lucchefinio ſucceſſorem Cajetanum Amatum, huic verò Thomam Emaldum deſignavit,

vit, neutrum eloquentiæ laude cum Bonamicio comparandum. Tametsi Benedictus Sapientissimus Pontifex ejus operà in ejusmodi scriptione uti voluit: eâque propter officium nomenque novum in eam rem intulit, dum Bonamicium *Substitutum* suarum Scriptori Epistolarum appellavit, additâ annuâ stipe, ut ei Scriptori nunquam non præstò esset; quod quidem munus ut nemo ante, ita nemo gessit post Bonamicium, qui in illo perseveravit toto Pontificatu Benedicti, & Clementis Successoris. Alia etiam, nec levia amoris in Bonamicium testimonia Benedictus exhibuit, Beneficiaque in hominem contulit, quibus satis commodè aleretur. Quum autem Pontifex ille Summus Bononiense maximum Templum magnis sumptibus planè renovasset, solemnemque illius fieri dedicationem jussisset, Bonamicius in eam rem egregium carmen confecit, atque in lucem typis emisit. Per idem fermè tempus alia quoque edidit carmina, ut illud de Henrico Cardinali Enriquezio, aliudque ad Sylvium Cardinalem Valentium, quæ viris do-

doctis magnopere probabantur. Erat enim homini, a naturà ipsà tributa, numerosa quædam in condendis versibus dignitas cum admirabili facilitate conjuncta: Eamque facultatem optimis Poetis lectitandis, diuturnoque ipse studio perfecerat. Itaque illud erat assecutus, quod minime usuvenire videmus, ut Orator idem summus, summus idem Poeta haberetur, & esset. Hanc laudem Bonamicio tribuebant docti omnes, tribuit præsertìm clarissimus Vir Josephus Antonius Taruffius Bononiensis, qui perelegantèr scriptà Elegià hominem collaudavit, atque hac de re ita cecinit:

„ *Qui sive eloquio liber spatietur aperto,*
„ *Seu malit certis cadere sensa modis;*
„ *Auspiciis didicit securis ire per altum,*
„ *Et puppim optatis sistere littoribus*".

Jam vero nullam Bonamicius prætermittebat occasionem ingenii exercendi, ostendendique. Florebat Romæ doctorum hominum cœtus, cui nomen *Academiæ* esse consuevit, atque ab ipsa Urbe, ejusque fundatore illo Romulo *Quirini* dice-

cebantur. Erat Accademiæ Dictator perpetuus Nerius Cardinalis Corsinius Vir vel ipse eruditus, vel certè eruditorum, omnisque eruditionis amantissimus. Porrò in Accademiam haud multi, & nonnisi verè docti admittebantur. Bonamicius erat ex eis, atque Corsinio Dictatori charus cumprimis, acceptusque numerabatur. Itaque quum Accademici illi convenissent in Hortis Corsinianis, Bonamicius, Dictatoris jussu, copiosè & gravitèr & ornatè verba fecit hetrusco sermone, sumpto argumento ex his Ciceronis verbis in *Orat. pro Planco*: „ Illud sine „ ulla dubitatione maximè nostrum fundavit Im„ perium, & Populi Romani nomen auxit, quod „ princeps ille Creator hujus Urbis Romulus fœ„ dere Sabino docuit, etiam hostibus recipien„ dis augeri Civitatem oportere ". Oratio maximo plausu excepta fuit, pòstque typis Paleariniorum in vulgus edita, ad ipsumque Corsinium a Bonamicio missa, non minus luculentà Epistolà. Sed jam Bonamicius nonnihil a literis avocandus, atque ad negocia traducendus est.

Nul-

Nullus erat Lucensi Reipublicæ eo tempore, qui officio ac nomine Agentis in Urbe Romà curaret illius negocia. Perfuncti eo munere antè fuerant nobilissimi, atque amplissimi Viri Cosmus Bernardinius, Jo. Jacobus Fatinellius, ac, ne domesticam, si qua est, gloriolam aspernari videar, Thomas Montecatinius, meus magnus Patruus, qui Romæ in forensi opere diu non sine laude versatus obiit ann. MDCCXX. eique sepulcrum è marmore in Romano Lucensium Templo excitatum cum inscriptione fuit. Sed quoniam, uti diximus, nulli tum fuerat munus demandatum, Senatus, si quid rei opus erat, Bonamicii operà utebatur. Gravitèr porrò in id incumbebant Patres, qua ratione obviam præiretur iis malis, quæ quandoquè ex deligendo Antistite invehi in Rempublicam potuissent. Nam antiquitùs in quavis Civitate a Collegio Sacerdotum Maximi Templi eligebatur Sacrorum Antistes. Posteà verò ea auctoritas Pontifici Maximo pro universa, quam gerit, Religionis curà delata est. Itaque homines libertatis maximè retinentes, quam

tot

tot Sæculis non vi & armis, sed prudentià & consilio egregiè tuentur, probè intelligebant, quantopere Reipublicæ intersit, immoquam arctè cum tranquillitate ac salute publicà conjungatur, ut qui amplissimo fungitur Sacerdotio, is Vir Civitatis moribus atque institutis aptissimus, ac tum Senatui, tum populo gratissimus inveniatur. Quapropter Bonamicio dederant in mandatis, ageret cum Benedicto XIV. Pontifice Maximo, qui Reipublicæ nostræ amantissimus habebatur, seseque paratos diceret magnum auri pondus Sacerdotio attribuere, ut quæ ipsi verebantur incommoda diligentissimè præcaverentur. Mandatis a Bonamicio egregiè confectis; quorum magna ratio habita est a Pontifice cum præclarà etiam commemoratione veterum Senatus Lucensis in sanctissimam religionem officiorum meritorumque; ita constitutum est: Ut Sacerdotii Census ex publicà re augeretur pro muneris dignitate, cui nuper a Tertio Decimo Benedicto honorificentior * appellatio, majusque accesserat de-

* h. e. Archiepiscopatus.

decus, Pontifices autem Maximi è tribus, quos Lucensis Senatus nominaret, Lucensem eligerent Antistitem. Dum eam rem Benedictus publicis consignaret Literis præclarum sanè de Philippo Bonamicio testimonium pronunciavit, quem gravissimus Pontifex *familiarem suum in obeundis Lucensis Reipublicæ negociis certè diligentem, sibique apprimè charum & probatum* dixit. Quo honorificentissimo tanti Pontificis judicio permotus Senatus Bonamicio Agentis munus jamdiu vacuum demandavit. Sed Benedicto XIV. Clemens XIII. successerat, quum Josepho Palma Lucensi Antistite vità functo, novus nominatione Senatus eligendus erat Antistes. Hîc tum gravis, neque exspectata exstitit quæstio. Nam Pontifices Maximi in Sacerdotiis mandandis eorum fructus discerpere, aliquamve partem Sacerdoti ademptam assignare consueverunt aliis, qui & ipsi religiosis vacent officiis. Quæ autem Sacerdotia mandantur eorum nominatione, qui ipsorum Sacerdotiorum Patroni habentur, præsertim verò si sint Reges, aliive qui summo in

suis

ſuis Civitatibus, ac Ditionibus utantur Imperio, Pontifices in iis mandandis hujuſmodi uſu, poteſtateve omninò abſtinent; niſi fortè ab ipſis Patronis id petitum foret. Itaque Clemens non ſatis intelligere videbatur, Lucenſem Senatum Lucenſis Sacerdotii factum fuiſſe Patronum: quòd ab eo more inſtitutoque temperandum ſibi minime exiſtimaret. Ibi tum Bonamicius Reipublicæ jura proponere; ſemper in Senatus fide clientelàque Antiſtites ampliſſimumque Sacerdotium extitiſſe, modò grandi appenſà pecunià beneficioque Pontificis jure nominandi quos digniſſimos judicat auctum eſſe, quapropter jure ac meritò Patronum cenſeri dicere; conſuetudinem afferre; aliaque multa pro Legati fide ac diligentià, atque ut erat acer & cumprimis copioſus, de eà re diſſerere, quæ inſtituti noſtri non eſt, ut perſequamur. Res diù multumque jàctata, atque in quintum uſque annum extracta hunc habuit exitum; Ut ſumma Penſionum nomine (ſic enim appellant) quotannis a novo Antiſtite ſolvenda, haud fuerit major, quam antè fuiſ-

fuiſſet, quinimmò nonnihil minor; Ut illius pars ex Senatus voluntate Noſocomio Lucenſi attributa ſit; Atque (quod rei caput eſt) ut novum perque honorificum Civibus Lucenſibus perpetuum privilegium Romæ irrogatum fuerit, quo Lucenſi Civi in Romano illuſtri Advocatorum, quos Conſiſtoriales vocant, Collegio locus pateret; atque is locus primò datus eſt Viro tum generìs amplitudine, tum eximià ingenii morumque ſuavitate ſpectatiſſimo, modò etìam optimo Præſuli Laurentio Proſpero Bottinio, quicum ſumma mihi intercedit neceſſitudo. Lucenſis tunc Antiſtes, Senatus nominatione, renunciatus a Pontifice eſt Jo. Domìnicus Manſius ex ea Sodalitate, cui nomen a Matre Dei; quem ego hominem honoris cauſſà nomino, proptereaquòd nobilitatem generis & ipſam ſanè præclaram inſigni virtute, planèque incredibili eruditione multò maximè vincebat. Magnam ſuperioribus temporibus calamitatem Philippus Bonamicius acceperat ex immaturà Caſtruccii Fratris morte, quem pro-

pter eximiam ingenii doctrinæque laudem, miramque latinè scribendi facultatem singulari amore prosequebatur. Itaque acerbum casum molestissimè tulerat; sed non tam mœrori indulgens, quam pietati, uxorem amantissimi Fratris suis opibus sustentandam censuit, & illius Vitam breviter, sed purè imprimìs, splendidèque descripsit. Quum autem Abundius Rezzonicus, Clementis Fr. F., magnæ tum spei adolescens, Patrui jussu, Togam puram solemni ritu ac pompà in Capitolio sumeret, Bonamicius Epigrammate cumprimis nitido illum collaudavit: Item quum ipse Clemens curru per urbem advectus extemplò intercepto spiritu morti proximus visus esset, Bonamicius de eà re versus edidit elegantissimos. Sed ut verum fateamur, toto Clementis XIII. Pontificatu Bonamicius neque honores adeptus, neque admodùm censu auctus est. Interim quum è Germanià Romam advenisset Carolus Brunswicensium tunc Princeps, modò etiam Dux, militari virtute rebusque gestis jam tum clarus, huic Bonamicius dono misit

Ca-

Castruccii Fr. Commentarios, ipsumque munus per se nobile atque egregium versibus etiam lectissimis illustravit. In Nuptiis autem tum Sigismundi Chisii & Æmiliæ Odeschalchiæ, tum Marci Antonii Burghesii & Annæ Mariæ Salviatæ Carmina edidit, in quibus Virgilii gravitatem agnoscas. Sed accedentibus jam nobis ad Clementis XIV. Pontificatum illud in mentem venit, quod de Leone X. fuit memoriæ proditum, ipsum, antequam è Conclavi exiret, in quo fuerat Pontifex renunciatus, Petrum Bembum, & Jacobum Sadoletum, qui tunc romanæ eloquentiæ principes numerabantur, sibi ab Epistolis adscivisse *. Ita enim Clemens XIV. simul ac fuit Pontifex creatus ad Epistolas conscribendas appellavit Benedictum Stayum, & Philippum Bonamicium, utrumque veteribus illis, quos nominavi, vel anteponendum, vel certe comparandum. Munus sibi a Pontifice delatum Senatui Lucensi significavit Bonamicius, ad quem Lite-

* Bembus in Hist. Venet. fin.

ræ amoris pleniſſimæ reſcriptæ fuerunt. Enimverò ipſe Pontifex, qui erat omnium officiorum ſtudioſiſſimus, Senatui ſignificavit, ſe *Bonamicium ob perſpectas ingenii laudes ſibi adjunxiſſe*. Minus verò commodè ea res Patribus accidere videbatur, quòd novum illud apud Pontificem munus cum Agentis officio, quod Bonamicius jamdiu gerebat, non ſatis congruere dicebatur poſſe. Attamen Senatus & Pontifici gratias agendas cenſuit, & Bonamicio præclarum amoris teſtimonium dedit, dum illum honorificentiſſimo Senatuſconſulto ad Patricios tranſtulit, multoque donavit auro. Publicæ exſtant Literæ, quibus ad Patricios translatus Bonamicius fuit, quibuſve graviſſimum Senatus judicium continetur. Quanquam autem Agentis nomen remittere, officiumque deponere, Pontificis voluntate, Bonamicius debuerat, tamèn nihil paullò gravius cum ipſo Pontifice pro Lucenſi Republicâ agebatur, cui non ille ſtudioſam navaret operam. Teſtes ſunt Literæ a Clemente ad Senatum datæ Non. Decembr. ann. MDCCLXX.,

MDCCLXX., quibus Bonamicius dicitur *Patriæ ſuorumque commodorum ſtudioſiſſimus*. Sed magis etiam Pontifex honeſtaverat Bonamicium, quem ſuum intimum Cubicularium, ac domeſticum, ut ajunt, Præſulem appellaverat, ejuſque honoris inſignia capeſſere, ac deferre juſſerat. Ac Bonamicius quidem, ut Clementi aliquid offerret, quod grati eſſet animi monumentum, ſuum *De Claris Pontificiarum Epiſtolarum Scriptoribus* Librum nonnihil illuſtratum, ac, ſicubi opus erat, emendatum typis iterùm edidit Præfatione ad ipſum Clementem Pontificem ſanè quam gravi auctum. Fuerunt qui dicerent, neque eâ locupletiore editione omnes Scriptores illos fuiſſe a Bonamicio memoriæ proditos, hominemque eo nomine quaſi reprehenderent, & ſubaccuſarent: quibus reſpondere ſolebat, non de omnibus, ſed de Claris fuiſſe ab ſe ſermonem inſtitutum; ac ſi quos quandoque non ita illuſtres, neque admodum ſcribendi peritos in medium protulerat, id eò feciſſe, ut temporum rationem haberet, quive quaque ætate præſtiterint de-

monstraret. Et sanè viro docto & ingenioso non erat magnoperè laborandum, ut imperitè scribentium turbam promeret, sed ut optimos proponeret scriptores, qui vel ad imitandum, vel ad constituendam perfectam ejus scriptionis rationem plurimum ponderis essent habituri. Et quoniam non pauci, qui eo munere perfuncti dicuntur, licèt doctrinâ atque optimarum artium studiis eruditi, ac, ut eorum ferebant tempora, scriptores valdè boni clarique exstiterint, tamen in eo magistratu parum, vel nihil scripserunt; de eis quoque vix, nisi honoris caussâ, mentionem iniicere oportuit: quum cæteroquin eorum omnium vita ab eruditis viris descripta vulgò innotescat. Quæ quanquam nobis verissima esse videantur; nihilominùs Bonamicio pleniorem laudem tribuendam ducimus, quòd post alteram, qua de agimus, præstantissimi operis editionem, multa alia congesserat, sibi ab eruditissimis viris suppeditata, quibus editionem tertiam locupletissimam adornaret: quam si ille perficere non potuit, erit profectò qui eam diu-

diutiùs desiderari non patiatur. Sed ut in viam redeam, librum Bonamicius una cum lectissimis versibus dono misit summis viris, quibus familiariter utebatur, Vitaliano Card. Borromæo, & Joachimo Card. Bernisio; tum sine versibus, at præclarà cum inscriptione Thomæ Ricchinio, qui Palatinus erat Magister. Scripsit etiam eo tempore, viri clarissimi Angeli Fabronii rogatu, Commentariolum purum imprimìs nitidumque *De Vita Jo. Vincentii Lucchesinii*, illudque typis edidit cum Præfatione ad ipsum Fabronium pereleganti. Quum autem Clemens XIV. consilio & prudentià, mitique potissimùm ingenio pace concordiàque felicitèr conciliatà Avenionensem & Beneventanam Civitates & Ditiones iterùm Romanæ rei adjunxisset; unde superiore Pontificatu propter nescio quas suspiciones dissensionesque fuerant avulsæ; Bonamicius rem benè gestam collaudavit carmine gravitatis plenissimo. Erat Bonamicius amicitiæ cæterorumque officiorum studiosissimus; tum omni lepore, ac venustate affluens: eàque propter in

urbe Româ principibus clarissimisque viris charus erat perque familiaris. Præsertim verò familiam Odeschalchiam spectatissimam illam quidem, & tam generis amplitudine opumque splendore, quam pulcherrimis animi bonis præcellentem coluit semper omni officio, studio, observantià, pietate. Imprimìs Victoriam Odeschalchiam, Fœminam multis magnisque nominibus præclaram mirificè observabat. Colebatur ipse vicissim ab Odeschalchiis omni officiorum genere. Quare sæpe occasione datà versus condidit elegantissimos, ut laudes præstantissimæ matronæ, familiæque omnis Odeschalchiæ prosequeretur. Quum autem illud ageretur, ut Innocentio XI. Pontifici Maximo, qui ex ea gente fuit, propter eximias virtutes, vitæque admirabilem sanctimoniam, Divorum honores decerni peteretur, ejus Postulationis cura omnis Odeschalchiorum voluntate ac studiis Bonamicio demandata est. Hic autem quum probè intelligeret tanto muneri sustinendo nihil aptius futurum, quam ut ipse sanctissimi hominis vitam diligentissimè de-

deſcriberet, ſtatim operi manus admovit. Interim verò Clemens Pontifex mortem obiit, funereque ſolemni pompâ elatus, a Bonamicio laudatus fuit in Divi Petri celeberrimo orbis terrarum Templo, frequentiſſimoque in conventu graviſſimâ atque ornatiſſimâ Oratione. Illam non emiſit Bonamicius in manus hominum; miſit autem ad ampliſſimum, omnique laude cumulatum tunc Præſulem, nunc Cardinalem Franciſcum Herzanium cum inſcriptione, quæ illius egregias virtutes, ac utriuſque neceſſitudinem declararet: ad quem etiam cum Purpuram eſt adeptus neſcio quid munuſculi miſit cum eleganti Epiſtola. Mihi autem hoc loco jucunda ſane recordatio ſuccurrit ejus temporis, quo quum ad Urbem Romam acceſſiſſem, ipſis Comitiorum diebus, ſuaviſſimâ Bonamicii conſuetudine frui licuit. Aderant mecum adoleſcentes nobiliſſimi, ſummiſque præditi ingeniis Criſtophorus Boccella, & Hieronymus Lucchesinius Sororis meæ Filius, in quibus magnam tum ſpem patriæ vel incolumitatis, vel etiam di-

dignitatis majores natu ponebamus. Itaque percontantibus nobis, multùmque rogantibus solebat ille vel eam Orationem, quam paucis antè diebus habuisset, vel aliud illud de Innocentii Vità majorum vigiliarum opus lectitare non sine incredibili omnium nostrum voluptate. Et quoniam Adolescentes illos studio doctrinæ incensos videbat, mirum est, quàm eos disertus senex in incœpto gravissimis verbis confirmaret: quorum prior poeticà nunc facultate clarus, senatoriis idem floret muneribus; Alter philosophià, omnique liberali & dignà homine nobili disciplinà pereruditus, quum ad perfectam sapientiam necessariam sibi esse peregrinationem statuisset, in Germaniam profectus, atque in Friderici Borussiæ Regis maximi, præstantissimique familiaritatem receptus, quintum jam annum abest. Comitiis itaque habitis renunciatur Pontifex Pius VI. elati animi magnique Vir; qui in Bonamicio amando ornandoque omnes facilè superavit. Nam vix dum Pontifex creatus hominem perbenignè complexus Epistolarum conscribenda-

darum munus retinere juſſit, paullòque poſt Lateranenſi Sacerdotio, peramplo illo quidem ac fructuoſo, auxit, aliaque inde Beneficia contulit in illum, vel in ejus Fratrum Filios, quos ipſe unicè diligebat. Quapropter quum Bonamicio nihil eſſet antiquius, quam ut gratum ſe præberet, præſertim optimo ſplendidiſſimoque Pontifici, Commentarium de Innocentii XI. Vità properè abſolutum, ipſique Pio luculentà Præfatione dicatum typis edidit ann. MDCCLXXVI. adprobante maximè, eruditiſſimo Præſule, Stephano Borgia, qui Bonamiciorum amantiſſimus erat. Eundem quoque Librum, memoris gratique animi teſtem, pluribus ampliſſimis hominibus dono miſit, quorum in ſe benevolentiam perſpectam habebat; atque munuſculo addidit ſive verſus elegantiſſimos, ſive inſcriptiones, quibus eorum erga ſe merita patefecit: verſus quidem ad Mariam Chriſtinam Auſtriacam Regiam Fœminam, ad Joachimum Cardinalem Berniſium, atque ad Balthaſarem Odeſchalchium; Inſcriptiones verò ad Ferdinandum Auſtriacum Regium Ado-

Adolescentem, ad Cardinales Joannem Baptistam Rezzonicum, Joannem Franciscum Albanum, Aquamvivam, Carapham, Borromæum, Calinum, Casalium, & Zeladam, tum ad Curtium Bonum, de quo dicendum nobis erit, atque ad Josephum Taruffium, de quo suprà diximus. Exstant Curtii Boni, ac Josephi Taruffii Epistolæ, quibus uterque gratias Bonamicio egit, honorificentissimumque de homine, de ejus ingenio, de libro edidit judicium. Exstant quoque amplissimi, doctissimique Antistitis, Pontificiique ad Cæsarem Legati Josephi Garampii literæ amantissimè scriptæ, quibus grates Bonamicio agit, quod sibi misisset librum illum. Postea verò nihil aliud Bonamicius scripsit, quod publici juris fecerit, vel quod nobis innotuerit. Quanquam aliud quiddam magnum, magnæque utilitatis animo agitabat. Ei namque, quo fungebatur, officio adjunctum est munus rescribendi ad ea, quæ Religionis in universo orbe Antistites ad Pontificem Maximum de suâ quisque Diœcesi scribunt. Habet enim hoc Christiana res,

res, ut in eà Pontifex Maximus, cæterique majores, minoresve Antistites, velut caput & membra, unum conflare corpus intelligantur; cujus actiones omnes in unum coire consilium maximè oportet, ut vigeat, ac floreat. Ac quoniam a capite tractìs profectisque nervis artus omnes continentur, per eosque vitalis succus a capite in corpus dimanat, rursusque ab artubus ad caput reiicitur: Ita a Pontifice Maximo ad cæteros Antistites, rursumque ab hisce ad illum permeare debet curationis hujus ac muneris veluti succus & sanguis. Quapropter antiquitùs institutum est, ut Antistites certis quibusdam temporibus, lustratà præsertim Diœcesi, Pontificem Maximum certiorem reddant de iis omnibus, quæ ad religionem pertinent, ejusque judicium exspectent, sententiam venerentur, auctoritatem tueantur. Itaque Bonamicius hujus instituti originem, ordinem, rationem omnem exponendam susceperat, maximèque quantum hæc conjunctio, & communicatio rerum & consiliorum utilitatis contineat aperire cupiebat.

Enim-

Enimverò occupationibus districtus, atque ingravescente ætate impeditus quod animo & cogitatione comprehenderat, literis mandare non potuit. Consilium autem diligentissimè explicavit amico homini, imprimisque docto, ac erudito, qui egregium opus jam suscepit, neque multum abest, ut perfecerit. Valetudine Bonamicius, qua nunquam fuerat satis firmâ, ingruente senectute infirmiore etiam utebatur. Itaque intestinorum morbo aliàs tentatus, vehementiùs an. MDCCLXXX. conflictatus, tandemque Idibus Novembr. oppressus est. Ægrotanti, morientique nunquam non adfuit præstoque fuit Curtius Bonus Lucensis, Sacerdos eorumque Sacerdotum, qui a Matre Dei nomen habent, Rector Generalis, vir sanctimoniâ, & doctrinâ insignis, quo Bonamicius dum animum per religionem expiaret jamdiu utebatur, hominemque sæpè rogaverat, ut sibi si quid humanitùs accideret, ne deesset. Satis locuples Bonamicius fuisset, nisi habuisset Fratres, vel potius Fratrum Filios, qui illius liberalitate, offi-

fi-

ficiis, ſtudiis planè ſuſtentabantur. Eos teſtamento Hæredes inſtituit, fideique credidit Laurentii Proſperi Bottinii, quo amiciſſimè utebatur. Hic hæredum nomine ſepulcrum illi in Romano Lucenſium Templo excitandum è marmore curavit cum inſcriptione, cujus Benedictum Stayum, Bonamicii Collegam, doctiſſimum clariſſimumque Virum, auctorem ferunt. Satis multa de Philippi Bonamicii ſcriptis, dum illius Vitam deſcriberemus, a nobis dicta ſunt. Sed præter quæ nos commemoranda ſuſcepimus, ſunt lectiſſimi verſus non pauci, ſunt ad Antiſtitum Relationes Reſponſa, ſunt Pontificum Maximorum nomine conſcriptæ Epiſtolæ, quas qui viderunt, eas cum id genus Epiſtolis a principibus illis Bembo, & Sadoleto vulgatis jure ac merito conferri poſſe teſtantur.

PHI-

PHILIPPI BONAMICII
DE CLARIS
PONTIFICIARUM EPISTOLARUM
SCRIPTORIBUS.

d

II

CLEMENTI XIV.
PONT. OPT. MAX.

PHILIPPUS BONAMICIUS.

Historiam illorum hominum, qui Summis Pontificibus fuere latinis ab Epistolis, quam auctoritate præcipue Benedicti XIV. permotus multis ab hinc annis in lucem emiseram, novis nunc accessionibus veterum monumentorum auctam atque illustratam, ad rationem vero temporum, quibus Scriptores singuli floruerunt, multo diligentius exactam, inscribere Tibi non vereor, CLEMENS Pont. Max., fore confidens, propter eam, quæ Tibi cum illo communis est, & morum suavitatem, & ingenii præstantiam, ut qua humanitate labor hic meus a Benedicto XIV. exceptus olim fuit, eâdem a Te quoque nunc excipiatur. Equidem fœlicitate quadam mea factum arbitror, ut hujus Editio Operis, quæ jamdiu in manus hominum pervenisset, propter graviores quasdam domesticas curas, quibus nihil esset otii, quod ea in re collocarem, ita di-

lata ſit, ut in ea tempora inciderit, quibus Chriſtiana Reſpublica univerſa ad ſummum Te humanarum divinarumque rerum faſtigium evectum eſſe vehementiſſime gaudet. Miram enim mihi opportunitatem oblatam eſſe video, qua ego quoque, qui Tibi plurimum debeo, de ea, quam adeptus es, omnium maxima dignitate vere, magnificeque gratulor. Hic vero non vulgare quoddam atque uſitatum, ſed novum plane, ſingulare, atque ad Tui nominis immortalitatem illuſtre gratulationis genus Tibi deberi nemo non videt, ſi animadvertat Te Pontificem Maximum eſſe factum iis in Comitiis, quibus poſt hominum memoriam nihil fœlicius, nihil auguſtius ſane fuit. Ad eadem nimirum Comitia reſervabatur inauditum, & in omnem poſteritatem maxime memorandum hoc decus, ut glorioſiſſimus Cæſarum JOSEPHUS Auſtriacus, qui præſtanti virtute adhuc juvenis Europam univerſam rapuit in admirationem ſui, Romam repente advolaret, in Vaticanas ædes pedem inferret, atque auguſtum illud Conclave, quo purpuratorum Patrum Senatus frequens jampri-

pridem convenerat, inſperatà præſentiæ ſuæ luce perfunderet, atque illuſtraret. Quo inuſitato ſpectaculo quid unquam, aut huic Urbi jucundius eſſe potuit, aut Romanæ Eccleſiæ honorificentius, aut auſpicatius futuro Pontifici? Neque tamen non ea ſtatim omnium animos pervaſit opinio, ab hiſce Comitiis, quibus tanta divinitus fortuna adjuncta fuerat, neſcio quid extiturum plane magnum atque divinum. Jam vero non multo poſt renunciatus es Pontifex Maximus ita concordibus omnium ſtudiis atque ſuffragiis, ut non admodum quieto Reipublicæ ſtatu tanta extiterit & Sacerdotii & Imperii conſenſio, quantam ne tranquilliſſimis quidem temporibus extitiſſe unquam accepimus; delectuſque es unus ex omnibus, quem inuſitatus Comitiorum ſplendor, quem ipſa conditio temporum, quem univerſæ Eccleſiæ vota flagitare atque expetere viderentur.

Quamquam non falſo dixerim, ſapientiſſimos Patres non magis amplitudini tuæ, quam ſuæ ipſorum laudi, & omnium ſaluti conſuluiſſe. Fuit enim eximia eorum prudentiæ laus,

gubernaculo Christianæ Reipublicæ, procellis temporum turbulentissimorum jactatæ, eum Magistrum adhibere, qui non quocumque ventorum impetus ferat, inconsulto vagetur, sed collectos velis ventos, qualibet parte moveantur, sibi magnà industrià ita cogat obsecundare, ut expedita navigatione portum fœliciter tenere aliquando possit. Fuit magnitudinis animi tuæ, nulla difficultatum mole deterreri, quominus humanæ, ac divinæ spei plenus delatum Imperium ita acciperes, ut beneficium non accepisse, sed dedisse videaris. Et miramur tantam ubique gentium, simul ac tuum est nomen auditum, lætitiam & gratulationem extitisse? Nam de Urbe quid dicam, quæ, vix certo nuncio percrebuit, Te renunciatum iri Pontificem Maximum, in Vaticanum montem advolasse visa est. Nos ipsi incredibilem illam frequentiam omnium ætatum atque Ordinum vidimus inusitato gaudio gestientium: Nos voces audivimus summæ lætitiæ indices, testes approbationis: Nos ora vultusque perspeximus, e quibus de futura Reipublicæ fœlicitate non dubia spes emi-

ne-

nebat. Una enim Romæ, una Ecclesiæ universæ, una Regum ac Principum, una populorum omnium sententia, eam in Te uno esse virtutis atque animi præstantiam, qua in tanta perturbatione rerum opitulari Reipublicæ facile possis, eamque in veterem majestatem ac decus vindicare.

Et quidem cogitanti mihi tot tantasque rerum commutationes, ac vetera memoria repetenti, illud verissimum videri solet, Respublicas ferme omnes fuisse perbeatas, atque immortales futuras, si eas artes, quibus ab ipsis principiis sapienter constitutæ fuerant, constanter retinuissent. Hoc quidem certe affirmare licet de Romana Ecclesia; una enim virtute nititur, quæ non fallit opinionem, atque hinc repetat oportet & ornamenta dignitatis, & præsidia stabilitatis suæ. Sed quum ea sit conditio rerum humanarum, ut nihil non mutetur, ac sensim prolabatur, asciscendi sunt periti, atque excellentes Viri, qui Majorum instituta servare, & retinere, & , quoad ejus fieri possit, revocare contendant, easdemque Respublicas cum

administrandas suscipiant, quasi Picturas egregias, sed vetustate evanescentes iisdem, quibus erant, coloribus renovare studeant.

Sed inter cæteras virtutes, quibus Christianæ Reipublicæ summa salus ac dignitas continetur, majus quoddam, & haud scio, an maximum momentum semper attulit ad ejus incrementum præstantissima illa virtus, nulli Philosophorum cognita, atque ab ipso Religionis Conditore Deo in terras primum deducta, Christiana Humilitas, hoc est, excelsior quidam privatarum rationum, & terrenarum rerum omnium contemptus. Hac enim virtute maxime, non superbià dominatus, non opum splendore, non armorum crudelitate instructi atque subnixi veteres illi Pontifices, divini prope ac cælestes viri, Ecclesiæ dignitatem amplificarunt, atque hæc ex minimis tanta fecerunt.

Jam vero quis Te præclarissimis ac cælestibus hisce studiis, aut exercitatior, aut instructior unquam fuit, aut esse potuit? Primum quidem pervenisti ad summos honores ab illa religiosissima familia, ac disciplina, quæ semper

ha-

habita est ejusdem altrix, & magistra virtutis. Quoties vero magnum ingenium tuum, magnamque doctrinam, tum singularem quamdam atque incredibilem rerum gerendarum scientiam admiramur, atque respicimus; toties dolemus tantam sapientiæ vim tamdiu latuisse. Quamquam de Te usuvenisse intelleximus, quod de sublimioribus quibusdam stellis, quæ spatiis licet immanibus a terris ita recedunt, ut vix, aut ne vix quidem conspici possint, non latent tamen eos, qui oculos eruditos habent, intelligensque judicium: Sic præstans atque incredibilis tua sapientia non latuit Benedictum XIV. Pontificem illum immortalem, qui Te ex umbratili, ac domestica exercitatione eduxit in lucem, Teque uti voluit consiliario, atque adjutore suo in difficillimis atque impeditissimis Catholicæ Fidei Quæstionibus explicandis. Non latuit Clementem XIII. religione & morum sanctitate nemini secundum, qui magis tamen instinctu quodam Divinitatis, quam ulla alia caussa excitatus, Te in Cardinalium numerum cooptavit, tulitque judicii sui fructum, quod

Te

Te ipſum proxime conſequuturis annis Pontificem præſignavit.

At, quod eſt magis admirandum, hæc ipſa virtus, quæ, ut ſe maxime tueatur, receſſus, ac latebras quærit, ab altiſſimo ampliſſimoque honoris gradu in Te ita extat, atque eminet, ut præ cæteris tuis virtutibus in omnium oculos atque admirationem incurrat: tantum abeſt, ut mentis tuæ quaſi luminibus officiat altitudo fortunæ & gloriæ, aut animi aciem præſtringat ſplendor ſummæ dignitatis. Quanta vero putas in laude verſari omnium animum illum tuum cum ab omni cupiditate vacuum, tum communium utilitatum maxime ſtudioſum; illam vel in ſummo Imperio inſtitutam vitæ rationem, quæ a modica humilique fortuna vix diſtare videatur, ut nihil ad privatum ſuum bonum, omnia ad ſalutem publicam referat, nihil de ſummo Principatu ad ſe pertinere arbitretur præter ſummos labores? Cur igitur Chriſtianus Orbis univerſus non maxima juſtaque lætitia efferatur? Cur non mirifice gaudeat Te incredibili quodam conſenſu præpoſitum eſſe imperio, qui

o-

omnes virtute antecelleres? Nos quidem hæc una contra temporum vices, contra omnem fortunam ſpes, & cogitatio ſuſtentat, quod Te Pontificem habeamus.

Quod ſi in commemoratione rerum maximarum, atque in publica gratulatione eſt aliquis etiam privato officio locus, patere, quæſo, CLEMENS Pont. Max., ut Tibi pro ſingularibus ſummiſque beneficiis, quibus jam ſum a Te cumulatiſſime ornatus, gratias, quas poſſum, maximas habeam, ac labor hic qualiſcumque meus, qui nunc iterum in lucem prodit, auſpicatiſſimo tuo Nomini conſecratus, grati animi ſit in Te mei, ac beneficentiæ ſummæ in me tuæ teſtimonium ſempiternum.

Quamquam hiſtoria ipſa, quam ſcribimus, & latina oratio, qua utimur, quaſi ſuo jure poſtulant: Altera, ut Pontificio patrocinio commendetur memoria illorum hominum, qui ſummorum Pontificum laudi maxime inſervierunt: Altera, ut latinitatis ſit ipſe aſſertor, & vindex, qui Romanæ, Latinæque Eccleſiæ obtinet principatum.

PRÆ-

PRÆFATIO.

QUÆ me causæ moverint, quamobrem de Claris Pontificiarum Epistolarum Scriptoribus librum edere rursus voluerim, dicam jam plane, iisque libere ac breviter respondebo, qui in priore editione vel diligentiam, vel judicium desiderarunt meum. Equidem non negaverim, multos esse a me, dum Scriptores illos colligerem, dumque opus properabatur, prætermissos, multos item neglectos, qui nimium in inquirendo studium aut non postulaverant, aut effugerant. Erat enim homini præsertim non peritissimo (quod ingenue fateor) in tanta rerum atque hominum turba, temporumque longinquitate, & tenebris, offensionem vitare negligentiæ difficile: De claris vero scribenti omnes velle congerere, etiam illos, qui in locum hujusmodi Scriptorum non ingenii laude, sed fortunæ beneficio venerunt, supervacaneum. Iis igitur, qui meæ negligentiæ me commonent, tantum abest, ut succenseam, ut magnas agam etiam gratias, majores habiturus, si, quum tantum antiquitatis cognitione valeant, nomina eorum, quos imprudens ignarusque præterii, eruant ipsi e latebris vetustatis, atque in lucem proferant, dummodo ne quasi ex fæce hauriant, & illum in nostro Dialogo a Lucchesinio sermonem non de omnibus, aut quibuscumque, sed de Claris

ris tantum Scriptoribus institutum esse meminerint. Id enim si fecissent, & ego non exigua laboris parte levatus essem, quem mihi necesse fuit in hoc opere instaurando, atque augendo suscipere, & ipsorum in illustrandis præstantibus doctrina, atque eloquentia viris fuisset industria testatior, neque non aliquid in Ecclesiam Romanam commodi & gloriæ redundasset, cujus maximi interest, ad exemplum posteritatis vigere memoriam hominum optime de se meritorum.

Sed istorum ego voluntati, qui majorem in veterum monumentis investigandis curam, in proferendis illustrium Scriptorum nominibus copiam flagitarunt, nunc, ut spero, facile satisfaciam & libenter. Illorum nunquam potero morositati satisfacere, neque, si possim, velim, qui meum de Pontificiarum Epistolarum conscribendarum ratione judicium accusant.

Sunt enim qui latina omnia contemnunt, propterea quod latinæ linguæ studio impediri dicunt studia rerum gravissimarum: Et sunt, qui latine quidem, non tamen ornate, sed barbare, jejune, putide, hoc est, ut ipsi male interpretantur, Ecclesiastice scribendum putant.

Hic autem fateor equidem, quum primum ex diuturna illa horribilique barbarie, quæ Romano nomini, ac literis omnibus sempiternam prope noctem offudit, aliquam aliquando latinæ eloquentiæ lucem aspicere Italia, atque omnis deinde Europa cœpit, ejus inusitato splendore captos homines magis interdum de verbis, quam de rebus fuisse solicitos, studuisseque nimis anxie, non

quam

quam ſapienter, ſed quam latine ſcriberent. A quo errore ut longiſſime abeſſe viderentur ii, quibus, quia laborioſum erat, inane videbatur latinæ linguæ ſtudium, in alium errorem prolapſi ſunt, ut, latina rejecta, ad patriam & ſuam quiſque linguam recolendam incumberent, ne ſcilicet accommodatam diſciplinis percipiendis ætatem in latinæ linguæ ſtudium inſinitum proiicerent. Sed neque tam laborioſum eſt, tamque difficile, quam iſti putant, latinæ linguæ ſtudium (modo recte, atque ordine tradatur), neque ex latinæ linguæ rejectione facilior patet aditus ad doctrinam, quum addiſcendi laborem non ideo minui, ſed augeri oporteat. Nam pro una, quæ ab univerſis olim doctis Viris uſurpabatur, Italicam, Britannicam, Germanicam, Sarmaticam etiam, ſi placet, compluresque alias perdiſcere linguas coguntur, ſi quidem docti & eſſe & haberi velint; præſertim quum id increbuerit, neminem jam ſatis doctum exiſtimari, niſi quæcumque a cujuſque Nationis Sapientibus proprio ſermone conſcripta ſunt, ea omnia inveſtiget, ac teneat. Nulla autem quondam fuit tam immanis, atque ab omni cultu remota gens, quæ noſtris temporibus non inſigni aliquo ſapientiæ monumento celebretur. Quanto igitur melius, atque e re literarum publica magis foret, ſi in hanc ſententiam docti omnes convenirent, ut una eademque lingua ſcriberent, ea præſertim, quæ doctiſſimorum ingeniis & ſcriptis exculta jam eſt; quæque adeo nota eſt omnibus, ut iiſdem finibus, quibus olim Imperium Romanum, contineatur?

Sed

Sed quod ad doctrinam utile, id ad Religionem necessarium esse jam vident, qui probe intelligunt hanc unam esse oportere Romanæ Ecclesiæ linguam: Latinam scilicet, quam Concilia pleraque Sanctissimorum Patrum, præsertim vero Tridentinum, colendam decreverunt; quam Pontifices Romani omnes in Edictis, in Epistolis, in Responsis voce, & scripto usurparunt. Est igitur latinus hic sermo ad quamdam Romanæ Ecclesiæ dignitatem revocandus, ut mihi quidem cum illo Romanæ quoque Ecclesiæ splendor obsolescere propemodum atque inobscurari videatur.

Jam vero quis reprehensorum ferat genus illud alterum, qui Pontificii Scriptoris negant esse, illam sibi in Epistolis conficiendis, quæ clarorum Scriptorum fuit, scribendi rationem adsciscere latinam, æquabilem, numerosam etiam; propterea quod ab Ecclesiastico Stylo *nescio quo, quem ad inscitiam, vel desidiam obtegendam suam ipsi commenti sunt, longissime absit?*

Dictum est omnino de ejusmodi Ecclesiastico Stylo nostro hoc in libro, & quidem copiose ac diligenter; sed quia nimis indociles quidam tardique sunt, admonendi videntur hoc in loco iterum. Non igitur ii sumus, qui Pontificio Scriptori maxime convenire arbitremur eas latinitatis delicias, atque ineptias, quas illi sequuti sunt, qui latiniores ut viderentur, Ethnicorum (non enim me pudet verbis uti Ecclesiasticis) Ethnicorum, inquam, cincinnis Pontificiæ Scriptionis majestatem deformarunt. Sed neque rursus Ecclesiastici Styli intelligentiam ponimus in Sacris

qui-

quibusdam verbis, modisque temere inculcatis, ita ut omne præterea latinæ dictionis ornamentum negligatur. Quod qui faciunt, & sacris verbis plerumque abutuntur, quod impium prope est, &, quod boni certe Scriptoris non est, concursu illo orationis tam inconditæ doctorum hominum aures offendunt, intelligensque judicium; sed illud scriptionis genus adhibere, quæ latina sit, gravis, copiosa, plena sanctitatis, plena roboris ac nervorum, quæ denique divina quadam suavitate animos legentium permulceat, atque commoveat; Hoc, inquam, scriptionis genus, Ecclesiasticum, Apostolicum, Pontificium Stylum appellamus, hoc est ad veram & germanam speciem eloquentiæ conformatum. His igitur reprehensoribus, non multis profecto, neque magnis (nam plerisque & sapientibus Viris probatum fuisse intelligo) nova respondemus nostri libri Editione; quam quod multo auctiorem, atque emendatiorem curavimus, iccirco in partes tribuendam duas existimavimus; Quarum altera Dialogum continet de Claris Pontificiarum Epistolarum Scriptoribus: Altera uberiorem exhibet notitiam eorundem Scriptorum, qui in Dialogo indicantur.

PHI-

PHILIPPI BONAMICII

DE CLARIS

PONTIFICIARUM EPISTOLARUM

SCRIPTORIBUS

AD BENEDICTUM XIV.

PONTIFICEM MAXIMUM

LIBER.

INtelligo equidem, Benedicte Pont. Max., postulari a me jamdiu, vel flagitari potius eorum hominum historiam, quorum opera illustrior fuit in conscribendis Epistolis Pontificum Romanorum. Nam quum hujusce consilii Tibi mei rationem jampridem exposuissem, tuaque gravis accessisset cohortatio, quæ inflammaret hominem flagrantem jam studio hujusmodi scri-

ptionis; videbatur nunc tandem perfectum esse oportere, quod tanto ante confecturum promiseram, tua certe magis auctoritate permotus, quam mearum virium æstimatione confisus. Sed scribere ingressum deterruit statim me incredibilis rei magnitudo, ac difficultas, pene ut desperarem, quod receperam, præstare posse. Quamquam enim quicquid labore studio diligentia profici in eo genere potest, id omne ad eorum, qui Pontificibus Romanis ab Epistolis fuerunt, vel sola nomina e tenebris antiquitatis eruenda fuerim persecutus; nonnullaque etiam collegerim, quæ vel in obscuris annalium monumentis, vel in dispersis sepulchrorum inscriptionibus, vel in pervulgatis doctorum hominum epistolis fusa erant, ac dissipata: reliqua tamen erant plurima adeo vel obruta temporis diuturnitate, vel oblivione posteritatis extincta, ut ea reperire, atque explicare vix, & ne vix quidem possem. Itaque tam lente procedebat opus, ut intelligerem in discrimen venisse me non ingenii solum, sed etiam officii: Ne aut id Tibi, præsertim tanta dignitate, ac sapientia Principi, recepisse visus essem, quod non poteram implere, quod est impudentiæ; aut id non effecisse, quod poteram, quod est negligentiæ. Qua in dubitatione maxima quum versarer, collegi me aliquando, ac constitui, eam mihi rationem ineundam, ut sin minus omnia, quæ deberem, ea saltem solverem, quæ possem: atque adeo historiam, quam promiseram, plene, diligenter, ordinateque scribere quum minime liceret,

ret,

ret, scriberem tamen aliquid, Tibique, qui eo me nomine appellas, Benedicte Pontifex, repræsentarem jam non imagines clarissimorum Virorum expolitas, atque perfectas, sed nescio quid quasi e quercu exculptum, quod simile simulacri videretur. Ejusmodi est Dialogus, quem conscribere instituimus, ad Teque mittimus, Benedicte Pont. Max., qui unus mihi es & lector, & judex optandus æquissimus. Neque frustra optaverim, quum, quæ tua est eruditio, optime omnium noveris, res propter inopiam monimentorum, & vetustatem temporis perobscuras haud ita facile proferri in lucem potuisse, præsertim quas oratione illustrare velis, non infuscare barbarie. Quæ vero tua est humanitas, neque ad inertiæ culpam trahes, si non munus promissi omne confecimus; neque id, quodcumque tandem est, quod confecimus, omnino repudiandum existimabis.

Jam vero hanc scribendi rationem potissimum secuti sumus, & quod videbamus, non ad eamdem rerum, & temporum accuratam descriptionem, legumque severitatem formari Dialogum oportere, quibus historia adstringitur, & quod hoc unum fere scriptionis genus optimo consilio ab optimis Auctoribus usurpatum esse legeramus, a quorum imitatione qui recedunt, ii quidem a præstanti doctrinæ laude absunt quam longissime. Pigebat enim harum quotidianarum *Diatribarum*, atque *Dissertationum*; quæ monstra, aureis inaudita temporibus, ambitio peperit imperitorum, qui,

modo emittant aliquid in vulgus, non verentur judicia doctorum, atque prudentum, a quibus multo facilius impetres, ut non scripta desiderent, quam ut male scripta probare possint. Id autem non eo dicimus, quo acutius videre nos, quam ceteri, videamur, sed ut appareat, plus apud nos valere auctoritatem veteris disciplinæ, quam, quæ temporibus nostris succrevit jam uberrime, scribendi futilitatem. Eoque me minus pœnitet hujus consilii, quod in ejusmodi scriptione remoto a nobis sermone, inductisque sapientissimis Viris plus auctoritatis habituræ videtur oratio. Induximus autem *Joannem Vincentium Lucchesinium* civem nostrum, quem vivum coluimus semper, ac mortuum publice laudavimus ea Oratione, quæ est in manibus hominum. Fuit enim Lucchesinius vir excellens omni laude virtutis & ingenii, idemque græcis doctus literis, & maxime latinis, quarum studio quum flagraret, Demosthenis Orationes quasdam vertit e græco, earumque rerum scripsit historiam, quæ sua ætate contigerunt. Opus utrumque satis accuratum, & magni apud posteros nominis. Tanta homo doctrina & fama delituit nimium diu in otio literarum, evocatusque sero est ad Pontificias conscribendas Epistolas, cui muneri, quoad vixit, præfuit summa sua cum laude, & Pontificum dignitate: id quod ipse probe nosti, Benedicte Pontifex, qui & illius opera usus es, & de his rebus optime judicare, ut de omnibus, potes. Hujus igitur non sine caussa tota est de claris Epistolarum Pontificiarum Scripto-

ri-

ribus disputatio. Sed cum eo simul loquentes fecimus amplissimos dignitate, ac sapientia Viros duos *Alexandrum Furiettium* *, ex vetere illa disciplina Præsulum doctissimorum, & *Cajetanum Fortium* **, Advocatum, uti vocant, Consistorialem, in illo suo forensi labore, ut inter homines peritos constare video, facile principem, neque tamen politioris humanitatis expertem. Horum autem utrumque & Lucchesinius vivens fecit plurimi, & ego honoris, atque amicitiæ caussa nomino. Neque alienum putavi pro meo studio, proque familiaritate, quæ mihi cum Lucchesinio intercessit, huic disputationi videri me quoque interfuisse, si nihil aliud, saltem ut ea, quæ sapienter in eam rem ab eruditissimo Sene dicta meminissem, quantum ego possem, non sinerem intercidere, literisque custodirem.

* Alexander Furiettius fuit deinde in Cardinalium numerum a Clemente XIII. cooptatus, aliquanto serius, quam illius diuturnus labor in multis difficilibusque Reipublicæ muneribus caste integreque versatus, quam summa vitæ probitas, quam multiplex præstansque doctrina flagitare viderentur. Quanquam autem admodum senex vita decesserit, magnum tamen amicis omnibus desiderium reliquit sui.

** Cajetanus Fortius nunc Romanæ Curiæ Præsul amplissimus propter eximias verissimasque ingenii doctrinæ humanitatis laudes adeo est in ore atque admiratione omnium, ut commendationem nostram non magnopere desideret.

QUum igitur Lucchesinius Tibur venisset, unaque ego secum animi caussa exissem, iique, quos supra commemoravi, Furiettius, & Fortius feriis autumnalibus eodem venissent, quum plurimi hujusmodi homines solent esse in iis locis, forte evenit, ut hi Lucchesinium in Atestina Villa mecum, ut solebat, deambulantem offenderent. Hîc primo illa, quæ in congressu amicorum solent: deinde *Lucchesinius*, ecquid, inquit, Roma novi? Nihil sane, inquit *Furiettius*, quod sciamus. Sed miror, te novi quicquam ex me quærere, qui, Tibure quum sum, totus sum in Tiburtinis antiquitatibus pervestigandis, oblitus rerum novarum omnium. Habet tamen, inquit *Fortius*, aliquid ex antiquitatibus ipsis novi, de quo certe plurimum cum eodem ipso gratuleris. Quidnam, inquit *Lucchesinius*, præter Centauros illos affabre sculptos ægyptio e marmore, qui domi suæ in Urbe ad visendum ingeniosis, atque intelligentibus viris patent quotidie non domino magis ornamento, quam civitati? Tum *Furiettius*, quasi qui thesaurum invenisse aliquem dicitur, lætitia gestiens, habeo, inquit, habeo ex Hadriani Villa recens effossum vermiculatum opus ad effigiem vasis capacioris, & bibentium Columbarum, mirificum adeo, ut nihil ex omni antiquitate in eo genere videatur esse, quod cum illo compares. Neque putem hariolari, si hujus ipsius operis meminisse Plinium dixerim: cujus ego artificii pulchritudine commotus scribere aliquid cogitavi *De Musivis*,

sivis, quo artifices nostros ad imitationem veterum hortarer, quamquam nos (vere ut dicam) in hoc ipso artificio, nostrorum hominum studio, habemus, quo non solum provocemus, sed antiquitatem vincamus ipsam. Tum *Lucchesinius*, Ego vero, inquit, non in hoc solum tibi gratulor, Furietti mi, quod tanti pretii reliquias antiquitatis inveneris, quod est cujusdam felicitatis; sed multo etiam magis lætor, quod studium ipsum antiquitatis, quo sane plurimi intemperanter, ac perverse abutuntur, confers ad utilitatem artium pulcherrimarum; quod est ingenii, atque prudentiæ singularis, idest, tuæ. Et contulisse te quidem illud declarat, quod lapidibus ac signis veteribus effodiendis das operam, & das etiam præclaris Civium tuorum monimentis ingenii illustrandis; quorum aliqua abs te in lucem edita legi perlibenter. Tum ille: Barzizios, credo, significas, quos idcirco edidi, ut constaret, licet judiciali occupatione impeditum, non abhorrere me a studiis amœnioribus, & præterea ut ostenderem, optimis illis temporibus castæ latinitatis studium ad Cœnomanos usque nostros pervenisse. Ceterum probe novi, eos quidem, tametsi non ineleganter scripserint, nihil tamen ad Bembos, ad Sadoletos, atque ad te ipsum, qui eorum non solum es in officio successor, sed latinæ imitator eloquentiæ, quam temporibus nostris prope jam collabentem videris unus pulcherrime sustinere. Historia enim tua nota est omnibus; eo minus vereor laudare præsentem. Sed miror esse neminem, qui ne tanto-

rum Virorum memoria ſenſim evaneſcat, eorum quaſi hiſtoriam diligenter, ordinateque deſcribat. Tum ille, rem a me, inquit, deliberatam, & multum agitatam requiris. Non enim dici poteſt, quam ego commemoratione delecter Virorum excellentium, quorum muneri ſucceſſi, non quo eorum in ſcribendo laudem ſim aſſecutus (hoc enim abs te amice magis dictum, quam verius) ſed quod mihi ipſe aſſentor fortaſſe, quum hanc quaſi fictam hæreditatem alienæ gloriæ tenere videor. Igitur hunc noſtrum (ipſum me autem dicebat) illuc ut ingenii, ac induſtriæ nervos omnes contenderet, vehementer ſum cohortatus. Reliqua enim hiſtoria, quam habeo in manibus, quum jamdiu abſolvi flagitet, non patitur alio me abſtrahi, atque avocari. Tum ego: A me tu id quæris, inquam, quem hujus etiam eruditionis habeo magiſtrum optimum? & a quo in collocutionibus familiaribus, quum multa alia, tum nomina etiam nonnulla accepi eorum, qui, quum in Pontificiis Epiſtolis conſcribendis excellentiores ceteris fuerint, digni ſane ſunt, qui a ſilentio, ac tenebris vindicentur? Tum *Furiettius*, quidni igitur profers, inquit, Lucchеſini, & quoniam ſoli ſumus, atque otioſi, nobiſcum communicas, qui, & quales illi fuerint? Neque enim quicquam nobis gratius facere potes; ut pro Fortio etiam loquar. Et recte, ille inquit, loqueris: Nuſquam enim libentius ſum, quam ubi hujuſmodi amœniores diſputationes incidunt, atque agitantur; neque ferre poſſum quorumdam Patronorum inſulſitatem,

tem, qui quocumque in loco & quoſcumque inter homines habent ſemper in ore Cauſſas, Judicia, Forum. Sed dabis hanc veniam curioſitati meæ (neque enim Cauſſidici pudentiores omnium hominum ſolent eſſe) ut petitioni illi noſtræ addam aliquid, rogemque te, Lucchesini. ut antequam de ſingulis hujuſmodi Viris diſputes, univerſum eorum genus perſtringere ne graveris, nobiſque explices, in quo Pontificiarum Epiſtolarum Scriptores excellere oporteat, quale ſit. Mihi ergo, inquit *Lucchesinius*, ut ſeni partem loquacitatis imponitis; quam quidem non recuſo, quando & id ætatis ſum, & vobis non ingratum futurum eſſe video. Immo, inquit *Furiettius*, gratiſſimum, & quoniam ſatis deambulatum eſt, in pratulum illud, ſi placet, ſecedamus, quo ſane nihil eſt propter adſitarum arborum amœnitatem, agrique Romani proſpectum jucundius. Suis præterea locis ſedes aptiſſimæ diſputationum nos admonere videntur, in quibus eruditi illi veteres, & principes civitatis ruſticationes olim ſuas traduxerunt. At nunc, immutatis moribus, atque temporibus, honeſtiſſimis illis exercitationibus ludi ſucceſſerunt, comeſſationes, & inanis loquacitas, otii comes inertiſſimi. Sed en pratulum: in quo quum omnes conſediſſemus, ita *Lucchesinius* exorſus eſt.

Quærentibus nobis qualis eſſe debeat perfectus Pontificiarum Scriptor Epiſtolarum, illa prætereunda videntur eſſe, quæ ſunt in pervulgatis, & contritis præceptis hujus rei: nempe, ut ſit ille liberaliter inſtitutus, fide ſit optima, di-

diligentia maxima; quibus rebus qui sit ornatus, non tam, mea quidem sententia, laudandus est, quam repudiandus omnino, qui careat. Etenim quis cum Maximo Pontifice agere, summisque de rebus consuli hominem ferat agrestem, infidum, negligentem? Linquamus igitur hæc, quæ facilem cognitionem habent, usum necessarium. Neque enim gravitatis vestræ esse arbitror, neque, si placet, meæ, in communibus rebus vel audiendis, vel explicandis, ne hujus quidem sessionis otium consumere; præsertim quum non mihi sit apud vos vulgaris aliquis Epistolarum Scriptor informandus, sed is, qui maximarum rerum interpres sit ejus Principis, cujus florentissimum domi est Imperium, amplissima apud omnes fere gentes, omnesque Reges auctoritas, humanarum divinarumque rerum potestas summa, & singularis. Quæ quum facile intelligatis, jam neque illud expectare a me debetis, quod in proœmiis Oratores omnes facere consueverunt, ut illud suum, qualecumque est, dilaudent, de quo dicturi sunt. Pontificis enim, cui inservimus, dignitas dat mihi aditum ad dicendum adeo illustrem, ut supervacaneum sit de nostri muneris præstantia disputare, & dat etiam materiem, & quasi silvam, unde ea eruam, quæ dicenda mihi videntur paullo attentius cogitanti, qualis esse debeat Pontificiarum Scriptor Epistolarum. Nam quum ex humanæ, divinæque potestatis mirifice inducta conjunctione magnitudo existat Pontificiæ majestatis, ex duplici quoque politicarum, sacrarumque rerum cogni-

tio-

tione genus illud scribendi efflorescit Pontifici Maximo accommodatum, eoque dignum Scriptore, quem quærimus. Omnes enim illos derideo, atque contemno, qui hunc Epistolarum Scriptorem optimum interpretantur, si inanem quamdam, modo elegantem, atque urbanam elocutionem afferat; atque adeo nos sanctioribus exclusos doctrinæ penetralibus in hoc scribendi munus compingunt, atque detrudunt, quasi in humilem officinam verborum, non rerum. Ego vero arbitror, Scriptorem perfectum illum, de quo loquimur, & rerum instrumentis, & ornamentis verborum abundare oportere. Sed de verbis mox erit sermo, nunc de rebus, quas quidem omnes fere & ex intima Philosophiæ parte, quæ politica dicitur, & ex cognitione rerum divinarum hauriendas esse dico. Hæc est enim una maxime Scriptori nostro subjecta materies. Nam quî possit ignarus Reipublicæ ea scriptis suis prudenter explicare, quæ pertinent ad Rempublicam? aut Pontificis majestatem scribendo referre, qui, Pontificem quid deceat, ignoret? Neque tamen (ut hinc exordiar) non summi ingenii est, & summi laboris politicam scientiam assequi gravissimam. Aperiendi sunt humanæ naturæ fontes: unde Imperia extiterint, quibus stent legibus, atque institutis; quid iis labem, quid salutem afferat, etiam atque etiam investigandum. Cognoscenda præterea studia Regum & populorum; momenta rerum & temporum; vis tenenda exemplorum; historia imprimis arripienda, telum maximum iis, qui ad res gerendas accedunt:

quæ

quæ denique versantur in quaque Republica, quæ de cujusque gentis moribus traduntur, ea Scriptori nostro quæsita, audita, lecta, agitata esse debent. Magnum sane opus, sed in quacumque arte multum inest difficultatis, ubi excellere velis, atque a turba secerni. Ætas certe nostra magnæ illius, & virilis, ut ita dicam, eruditionis vel fastidio tenetur, vel labore frangitur. Atque ut in ornamentis domorum jam non solida veterum præclarorum opera Artificum, sed transalpinas, transmarinasque delicias leves & inanes requirit, sic in studiorum ratione adumbrata quadam eruditionis specie delectatur; effigiem vero doctrinæ solidam illam ab optimis auctoribus mirifice expressam temere projecit. Platonem, Aristotelem, Thucididem, Demosthenem, Isocratem, Xenophontem, Ciceronem, Sallustium, Livium, Tacitum Scriptori nostro pervolutandos esse, ego nunc si dixerim, nonne, quum a vobis, vestrique similibus discessero, reliquis omnibus, qui pene sunt infiniti, aut merus Grammaticus, aut ineptus videar amator antiquitatis? Tantum (proh!) a veterum studiorum gravitate descitum est, tantaque effluxit copia eorum, qui suæ blandientes inertiæ libellos nescio quos de Republica leviter, atque inconsiderate scriptos in ore semper, atque in manibus habent: Auctores autem fuisse alios, qui tanta de re uberrime, ut decet, atque ornatissime scripserint, fortasse ne suspicantur quidem! Atque inter veterum doctrinam, istorumque levitatem hoc ego interesse facile ex me cognosco, quod illos quum le-

lego (lego autem quotidie), nunquam non occurrit aliquid novi, atque præclari, quo nostrum alatur ingenium: Ab horum vero lectione jejunior etiam recedo, quam quum ad legendum accessi. Illi igitur humanæ prudentiæ fontes, illa capita, unde administrandæ Reipublicæ ratio optima peti potest. Equidem miror, in hac Civitate, quæ habita semper est doctrinæ domus, & dignitatis, jacere pulcherrimam hanc, maximeque necessariam, de qua disputatur, scientiam: In hac, inquam, Civitate, in qua & Imperium prudentia magis, quam armis continetur, & nemini non patet aditus ad Rempublicam. At memoria teneo, audivisse me ex Gallo homine, docto imprimis, ac nobili, quum diceret, Ludovicum non tam cognomine, quam rerum gestarum, & consilii præstantia Magnum, quum animadvertisset studium politicæ disciplinæ negligi a suis, novam quamdam Academiam, viro illo doctissimo, & Reipublicæ gerendæ peritissimo Colberto auctore, atque hortatore, instituisse. Hujus Academiæ proprium erat res magnas, atque memorabiles sive ex vetere, sive ex recentiore historia proferre, judicium suum interponere, omnes vel casus, vel sapientiæ, vel temeritatis caussas conferre, & quicquid in quamque partem dici posset, exprimere, atque ad accuratam politicæ doctrinæ normam diligentissime perpendere. Utinam Romæ, ubi plurimæ sunt optimarum artium Academiæ, hoc etiam tam sapiens, Reique publicæ tam utile vigeret institutum! Esset profecto quasi schola, ex

qua

qua optimi prodirent Pontificiarum Epistolarum Scriptores; quos ex angusto illo verborum opificio per me eductos, videtis in pulcherrima civilium rerum scientia late dominari. Dominari autem, inquit arridens *Fortius*, ut alii tibi concedant, Jurisconsulti certe nostri acriter repugnabunt, nec vero ferent Scriptorem hunc tuum illam suam veluti possessionem depasci. Provocabunt etiam ad Furiettium nostrum, qui (juri dicundo quum præsit) eam illis actionem dabit, quæ actio dicitur finium regundorum. Hic *Furiettius*, namque, inquit, ad infinitam illam multitudinem litium, varietatemque caussarum, quæ me Romæ enecat, etiam hanc molestiam assumam, ut Tiburtino in otio de pangendis finibus disciplinarum cognoscam? Verum, (ut opinor) me Lucchesinius judicem reiiciet, negabitque Jurisconsultum de Jurisconsultorum caussa æquo posse jure decernere. Tum ille, ego vero non modo, inquit, non recuso, sed etiam vehementer velim vos adhibere arbitros, qui, æquissimi omnium quum sitis, non ita vestram scientiam amplexamini, ut omnia illi in sinum congeratis. Fuerit hoc eorum, qui quæstus, ac ambitionis gratia artem illam suam hoc quasi præconio venditarunt. Sed habent artes suos quaque fines, extra quos, si sibi consentaneæ esse velint, egredi iis non licet. Jurisprudentia igitur, quæ partem Reipublicæ administrandam suscepit, non sane debet invadere in eam scientiam, quam civilem Plato vocat, quæque universam complectitur, & regit Rempublicam. Quæ Jurisprudentia quidem pro-

pter

pter plurimas in hominum societate opportunitates cum civili scientia tam arcte copulata est, vix ut videatur ab ea posse sejungi. Sejungenda tamen, eodem auctore Platone, ne sublato earum discrimine, perturbatio existat civilium officiorum. Ut enim unum est hominis corpus, membra plura; ita Reipublica quidem una est, diversa munera, aliaque aliis præstantiora. At necessarii sunt in Republica Jurisperiti. Quid manus, quas natura dedit homini rerum fere omnium ministras, quam sunt necessariæ? Nunquam tamen id sibi assument, ut capitis fungantur munere. Similiter Jurisprudentia leges, sine quibus humana societas stare non potest, quasi manus adjutrix, explicat, tuetur, exercet. Quid scientia civilis? Sedet domina & caput consiliorum omnium, leges ipsas, quæ neque ad omnia valent, & cum temporibus plerumque labuntur, sancit, immutat, id proprie unum agit, quod universæ expedire civitati cognoverit. Illa denique administrum aliquem, ut idem ait Plato, hæc principem instituit reipublicæ. Quamobrem minuenda est eorum opinio, qui, propter illam Jurisprudentiæ cum civili scientia necessitudinem, omnem civilis scientiæ vim in Jurisprudentia positam esse existimarunt; ut, quemadmodum Stoici, sapiens qui esset, Regem esse magnifice magis, quam vere prædicarunt, ita hi Juri consultos solos esse dicerent idoneos moderatores, & legitimos quasi dominos Reipublicæ: quod omnino falsum est. Num tu igitur, inquit *Furiettius*, me, aut hunc Fortium jurisprudentiæ multum

tum

tam salutem jubes dicere? Quæ tamen ad opes, atque ad honores mirum quantum valet in Republica nostra: Aut, quoniam non est integrum nobis consilio uti tuo, num Adolescentes eos, qui ad Rempublicam accedere velint, deducendos censes non ad Juris, sed ad Magistros Epistolarum? Quibus quidem solis scientiam tribuere civilem mihi videris: Id quod haud scio, an verum sit, a consuetudine certe nostræ civitatis abhorret. Ego vero, inquit *Lucchesinius*, neque vos instituti vestri pœnitere arbitror debere, præsertim, quod optime processerit, neque meum esse judico niti, & pugnare adversus consuetudinem, cujus tanta vis est, ut ejus gratia peccare interdum quodammodo liceat: Sed neque a consuetudine petendum est testimonium veritatis, neque quid valeat ad honores adipiscendos in hac disputatione quærimus. Nam si id quærimus, non tam Jurisprudentiæ fiducia nitendum nobis est ad honores, quam pecuniæ, quæ fortasse multo expeditiorem, & quasi compendiariam quibusdam munisse videtur ad opes viam. At neminem unquam vidi factum esse pecunia Politicum. Itaque Scriptorem nostrum non in Republica dominari, sed in scientia politica diximus, quam ei necessariam esse contendimus, ex eoque fieri arbitramur, ut capessentibus Rempublicam adolescentibus melius consulere videatur, qui eos in Pontificiis Epistolis conscribendis, quam in Juris formulis addiscendis ad civilem prudentiam exerceri malit. Nulla certe in Forensium Jurisperitorum scriptis, Forensium inquam (id

enim

enim diligenter intelligi volo) de Regum vel amicitiis conciliandis, vel cupiditatibus flectendis, de vicissitudine temporum, de publicorum varietate negotiorum litera invenitur. At his omnino rebus, unde ars omnis redundet oportet administrandæ Reipublicæ, abundant Epistolæ Pontificum missæ ad Reges & Cæsares: quibus qui scribendis assueverit, si mente sit idem bona, bonisque disciplinis præparata (id enim est quacunque in arte nobiliore pernecessarium) næ is haud paullo melius ad Rempublicam instituetur, quam qui in Forensium doctorum libris pervolutandis ætatem conterat; Qui quidem doctores magna professi, in parvis, ut ait Cicero, versantur. Atque ex illa institutione, præsertim si usus deinceps accesserit Legationum, & cognitio rerum externarum, rarum illud genus existet virorum, qui & ad Pontificias Epistolas conscribendas genus afferant orationis grave, splendidum, quasique ex ipsa Republica depromtum, & principem etiam apud Pontificem Maximum inter scribas, in ipsaque adeo imperii administratione locum obtineant cum dignitate: sicuti nunc revera obtinet Silvius Valentius Cardinalis, quem non Forum, credo, sed politica percepta disciplina, sed Legationes obitæ ita instruxerunt ad tractationem rerum maximarum, ut Benedicto XIV. sapientissimo illi hominum & rerum æstimatori, cum fidem & diligentiam, tum etiam ingenium & solertiam probaret suam, difficillimo tempore, difficillimo in munere, maximo Reipublicæ bono. Quare non injuria Sadoletus, ut accepit

B Rai-

Rainutio Farnesio, quem nuper Cardinalem Avus Pontifex creaverat, magistrum aliquem, nescio quem, forensis jurisprudentiæ datum, statim longiorem epistolam scripsit, & plenam omnium rerum, quæ adolescentem ab istiusmodi studio ad majora quædam revocarent. Meminisset, non se Foro, & litibus, sed universæ Christianæ Reipublicæ natum esse: Cujus gerendæ ratio non aliunde petenda erat, quam a Philosophiæ fonte, & cognitione rerum divinarum. Hæc Sadoletus Cardinalis in omni recto studio semper, magnisque rebus versatus. Contra quem aliam Epistolam ad eundem Cardinalem Farnesium inscriptam edidit e forensi turba Massa quidam Gallesius, qui omnes partes illius senatorii muneris expromendas esse e Jurisprudentia dictitabat, idque tam inepte, ut omnes intelligerent, caussam minime bonam patroni inscitia factam esse deteriorem. Sed Auctores quidem eruditi & graves, inque his Germanus ille Conringius, homo impia licet superstitione imbutus, doctus tamen, &, si quid ad rem pertinet, Jurisconsultus, Sadoleto magis, quam Massæ assentiuntur; & aliam esse docent regendæ Civitatis, aliam Juris interpretandi scientiam. Ego autem non id dico, neque enim hujus est institutæ quæstionis, sed tantum Jurisperitos amice rogo, ne a politicæ quasi regno scriptorem nostrum ejiciant, & ipsi, quibus pars reipublicæ attributa est, in totam invadere rempublicam, eamque, ut seditiosi cives, perturbare ne moliantur. Quod minime facturos existimo, totosque etiam futuros a me, si

veri

veri ſunt, & germani Juriſconſulti, quorum opera, ac doctrina video non minui, ſed augeri etiam poſſe ſcientiam rerum politicarum. Tum ridens *Furiettius*, Non pugnabimus, inquit, tecum amplius. Quod enim Juriſconſultis primo eripere conabare, id ipſum artificio quodam orationis tuæ deinde effeciſti, ut rurſus concedere viderere. Hic *Fortius*, Neque illud mihi, inquit, vehementer non probas, Lucchesini, quod paullo ante dixiſti de veris & germanis Juriſconſultis. Nam duplux eſſe genus Juriſconſultorum mihi quidem videtur, cum cogito, tam multos in hujus muneris gravitatem, ac nominis irrepſiſſe, ut non ſine cauſſa hæc inducta partitio videatur. Quis enim in gregem illorum, qui non docti ipſi quidem veniunt in Forum, ſed ex Foro doctrinam omnem ſuam arripuerunt, claros Viros coniiciat, qui ad Forum, atque ad judicia nulla non humanarum, divinarumque rerum cognitione præditi accedunt, qualis es Tu, Furietti mi, qualis eſt is, quem mihi quum in Forum veni, tanquam exemplar propoſui ad imitandum, Clemens Argenvillerius, aliique præterea, quorum, ſi uſquam eſt, Romæ eſt copia digna hujus Urbis gloria? At iſti, inquit *Lucchesinius*, non unius Juriſprudentiæ ſuffragatione, ſed nativo quodam recto ſenſu, & multiplici rerum cognitione inſtructi, ut producantur ad Rempublicam, atque in politicæ ſcientiæ poſſeſſione pedem ponant, non recuſo; & quominus recuſem maxime omnium Benedictus facit XIV. Pontifex Maximus, qui, quum juris omnis ſit conſultiſſimus,

talis eſt Pontifex, ut ejus in ſcribendo doctrinam mirentur omnes, in agendo ſapientiam nemo deſideret: In quem mihi intuenti illud veriſſimum videri ſolet, quod veteres quidam Philoſophi affirmarunt, ſcientiam unam optime qui tenet, eum tenere omnes, propterea quod communi vinculo & cognatione quadam inter ſe continentur. Illis autem aliis, ut in privatorum cauſis defenſitandis, ſcriptitandiſque ſeſe jactent ego quum conceſſero, illud certe nemo tribuet, ut e vepretis Fori ad arrodendam potius, quam ad regendam Rempublicam emergant, in eamque ſcientiam involent, quæ Scriptoris noſtri adeo propria eſt, ut ex ea conſtare totus videatur.

Quamquam Pontificiarum Epiſtolarum Scriptori, ſi meminerit, quem ſcribendo referat (hoc enim poſuimus tamquam fundamentum diſputationis noſtræ) ad prudentiam rerum civilium adjungenda eſt cognitio rerum divinarum. Neque audiendi ſunt, qui hæc duo, quæ ſejuncta eſſe non poſſunt, diſcerpunt tamen; atque ita diſcerpunt, fieri ut negent poſſe, ut idem ſacris, idem reipubl. præſit, quaſi aut nulla ſit in religione ad rempublicam regendam vis, aut odio quodam perpetuo Imperium a Sacerdotio, ſi ruere nolit, diſſidere debeat. Quod contra videtur. Nam neque firma eſt reſpublica, quæ religione caret, neque tutum Imperium, quod cum Sacerdotio digladiatur. Parco exemplis, ut in re nimis clara. Quis enim non videt, ſublata religione, atque adeo juſtitia, quibus rebus omnis humana ſocietas con-

continetur, ſocietatem ipſam, quibuſdam veluti nervis exſectis, diſſolutam ac debilitatam jacere? Aut quæ poteſt eſſe concordiæ, vel denique ſalutis in civitate ſpes, ſi Sacerdotii, atque Imperii poteſtates, quæ ad conſervationem civium coaleſcere una debent, pravo conſilio diſtrahantur? Valuit ſemper in optima quaque republica hæc divinæ, atque politicæ ſcientiæ conjunctio. Hinc Athenienſes omnibus ſemper publicis conſiliis Sacerdotes quoſdam adhibuerunt: Hinc Lacedæmonii & Regibus illis ſuis Augurem aſſeſſorem dederunt, &, ſi quid gravius accideret, Delphos uſque mittebant, qui oraculum ſciſcitarentur. Hinc Lycurgus, Numa, aliique optimi rerum publicarum inſtitutores atque moderatores humanam ſocietatem hoc religionis vinculo maxime devinciendam eſſe exiſtimarunt. Atque hæc fuit, credo, cauſſa, quamobrem ille Philoſophorum ingenio, & doctrina princeps Plato a civili viro, quem informandum ſuſceperat, Juriſprudentiam ſejunxit, Theologiam non ſejunxit; & Sadoletus Cardinalis ea in Epiſtola, quam ſupra commemoravimus, Farneſium dehortatus qui erat a Juriſprudentiæ ſtudio, ad rerum ſacrarum ſtudium vehementer hortatus eſt. Hanc igitur conjunctionem maxime intelligat oportet Pontificiarum ſcriptor epiſtolarum. Ejus noſcat cauſſas, vim teneat, eaque ad homines apte, atque ad tempora in ſcribendo utatur. Hoc autem magis eſt ſcriptori noſtro in his rebus pernoſcendis nunc elaborandum, quo, noſtris præſertim temporibus, gravior, latiuſque ſerpit certorum

hominum vel error, vel dolus, qui magni tum denique politici sibi videntur esse, si auctoritatem Pontificis convellant, & ferant, atque alant inter eum, reliquosque Principes caussam semper aliquam dissensionis. Ex quo quum multa, tum illud exiſtit malum, ut neque Pontifex Maximus a Principibus pro religionis tutela, quæ sibi petenda sunt, satis libere petere possit; neque illi tot obscuris suspicionibus exulcerati satis prolixe præstare velint, quæ debent. Quum autem ejusmodi scribendi caussæ incidunt, quæ nimium jam sæpe incidunt, unde nam nisi a sacris literis scriptori nostro argumenta sumenda scribendi? Inde est omne Pontificiæ doctrinæ robur, inde omne dignitati ornamentum. Propter eum, quem Pontifex Romanus habet a Deo in Christiana Republica locum principem, sancte atque auguste colitur a Regibus, gentibusque fere omnibus; ejusque habent scripta vim legis, & cælestis cujusdam oraculi. De religione, de ceremoniis, de conformandis hominum moribus ipse unus consulitur, ipse respondet. Sed tantam hanc, tamque late diffusam Pontifici auctoritatem una conciliat religionis sanctitas, & sacrarum usus literarum; quas qui ignorat, nunquam, mea quidem sententia, perfectus erit Pontificiarum scriptor epistolarum. Nam quum Pontificis auctoritas illa in epistolis maxime appareat, ut ipsæ sint Pontifice dignæ, denique ut eam, quam dixi, habeant auctoritatem, in sacrarum præsertim literarum cognitione positum est. Etenim si civilium rerum cognitionem scriptori nostro necessa-

ceſſariam eſſe diximus, recteque diximus, propterea quod in Pontificis dignitate Principis eſt etiam ſpectanda perſona; de divinarum rerum ſcientia quid dicemus? Quum ſine religionis præſidio ne ipſa quidem in Pontifice ſtetiſſet ad hanc diem Principatus majeſtas. Illa quidem civilium rerum doctrina utatur Scriptor noſter, quum opus fuerit (opus eſt enim interdum, etiam ne humana prudentia deſtituta religio videatur); hæc autem rerum divinarum ſcientia ſemper, atque in toto, ut ita dicam, ſpectetur ſcriptionis corpore. Boſſuetius quidem, clariſſimum Gallicæ doctrinæ lumen, rectam omnem adminiſtrandi Imperii rationem non aliunde peti poſſe, quam a ſacris literis, edito libro, demonſtravit; id quod ſi ad reliquos Principes valet, valet multo magis in Pontifice Maximo, in quo nihil non ſanctum, nihil non auguſtum, nihil non eſſe debet a religione ipſa quaſi conſecratum. Quare uti Socrates philoſophiam e Cælo devocaſſe, & in urbibus domibuſque collocaſſe dicitur; ita cæleſtem Pontifex ſapientiam ad civilem uſum transferet, atque in omnes reipublicæ partes, in ipſamque quoddammodo Regiam introducet. Eamque item ob cauſſam Pontificias in Epiſtolas inducenda eſt divinitas quædam ſermonis hauſta ſacris e literis, quas qui habet bene cognitas, atque perſpectas, multo certe magnificentius & ſentiet, & ſcribet. Omnia enim habent a religione excelſius quiddam atque admirabilius. Qua in re non poſſum non deſiderare prudentiam Cardinalis Bentivoli illius, qui Batavi Belli ſcripſit hiſtoriam, viri

cœteroquin prudentiſſimi. Dixiſſe enim dicitur, quum epiſtolas Silvii Antoniani quaſdam Pontificis nomine conſcriptas legiſſet, quod multa eſſent in iis a ſacris literis derivata, videri eas ſibi Monachum redolere, non Principem: quaſi aut Principis, præſertim qui Pontifex idem eſſet, dignitas cum ſacrarum literarum ſtudio pugnaret, aut ad docendos, monendos, regendos populos, ipſoſque Reges (quæ Pontificis Maximi partes ſunt præcipuæ) nulla eſſet in ſacris literis auctoritas. Mihi vero tanta videtur eſſe, ut ſine his neque Pontificis ſatis ſplendeſcere dignitas, neque oratio ſatis potenter influere videatur in legentium animos. Ubi enim major exemplorum copia? ſententiarum gravitas? verborum vis? Quanta in his, & quam admirabilis apparet conſpiratio illa Imperii, & Sacerdotii? Quantus hinc divinarum humanarumque rerum quaſi concentus exiſtit? Equidem quod Craſſus de uno XII. tabularum libello, ego de divinis libris veriſſime dixerim, omnes omnium philoſophorum bibliothecas ab illis & auctoritatis pondere, & utilitatis ubertate ſuperari.

Neque vero reliquæ Theologiæ partes Scriptori noſtro negligendæ ſunt; illaque ſolum cognoſcenda, quæ ſunt in ſacris literis, quæque paucis, quos tanquam ad manum ſibi habuit, occulto quodam ipſe Deus admirabilique modo dictavit. Ea etiam cognoſcenda, quæ vel illi Chriſtianæ Reipublicæ principes a Chriſto præſentes acceperunt, & voce tradiderunt, vel Pontifices Maximi, vel Concilia ſanxerunt, vel præſtantes doctrina & ſanctitate viri ſcriptis com-

commendarunt suis; quoniam ex iis etiam Pontificiarum Epistolarum conscribendarum ratio prudentissime effingenda est. Quæ autem theologiæ pars contentiosa tumultuatur in scholis, seseque ad pugnandum exercet adversus Ecclesiæ hostes, ut sit utilis ad differendum, Scriptori nostro non nimis necessaria esse mihi videtur. Volo enim in epistolis Pontificiis magis appareat præcipiendi vis, quam disputandi acumen; ne, si intempestivis horrescant Dialecticorum argutiis, recte Bentivolo tum demum videantur Monachum sapere, non Pontificem. Atque etiam vitanda est nimia illa divinarum tracta e sacris literis coacervatio sententiarum, quæ naturalem scriptionis cursum impedit, non adjuvat. Sed erit hac de re fortasse, quum de verbis agemus, accommodatior dicendi locus. Interim videor ne vobis opificem verborum aliquem, aut scriptorem, vel exscriptorem potius formularum descripsisse? Tu vero, inquit *Furiettius*, magnum quendam virum atque admirandum mihi proponere visus es. Quid enim abesse illi potest de maximarum rerum scientia, qui civilium divinarumque rerum cognitione ornatus sit? Et *Fortius*, Majorem certe, inquit, quam plerique suspicantur, & fortasse etiam, quam rei patitur natura. Nisi forte scriptorem illum tuum non facultatis ipsius, sed ingenii & doctrinæ tuæ magnitudine metiri voluisti. Nam quamquam in eo tibi valde assentior, quod inanem a principio elocutionem funditus repudiasti (nihil est enim vana futilique loquacitate contemtius); tamen illud vereor, ut tibi pos-

sim,

ſim, Luccheſini, concedere, quod epiſtolarum Pontificiarum Scriptori res illas, quibus in ſingulis elaborare permagnum eſt, oportere ſtatuiſti bene cognitas eſſe, penituſque perſpectas. Atqui ego ſatis ſuperque arbitrabar eſſe, ſi arreptas aliunde ſententias, & vel ſubito ſumtas decenter ſcriptor ille tuus veſtiret, atque ornaret: id quod ejus maxime proprium videtur eſſe, & præterea ipſum per ſe magnum adeo, & difficile, ut, ſi ejus induſtria in plura ſtudia diſtrahatur, periculum ſit, ne, dum rebus nimis ſtudet, verborum amittat elegantiam. Ergo illud *Penitus* theologis, politiciſque relinquat, qui ſuam quiſque ſcientiam ſeparatim pertractando, in earum ſtudio conſeneſcere poſſunt, tantumque ipſe ab illis mutuetur, quantum ſibi ſatis videbitur ad hoc dumtaxat, ne iiſdem in rebus peregrinus omnino atque hoſpes videatur. Ita & prudentem, ut opinor, conſequetur, & inanem vitaverit elocutionem. Nam ſecus ſi fecerit, ſibi fortaſſe non conſulet, & in alienum invadet; quod juriſconſultis quum minime conceſſeris, non video, quare Scriptoribus tuis tribuendum putes. Non eſt enim æqui Judicis aliam in ſua, aliam in aliena cauſſa ſententiam ferre. Tum *Luccheſinius*, De præſtanti, inquit, deque perfecto Pontificiarum Epiſtolarum Scriptore loquor (id enim, quum aliqua de re agitur, quæri ſolet) ex quo facile intelligitur, neque de memetipſo loqui me, qui ab illa perfectione quam longe abſim optime ſentio, neque de veſtro illo, quem communi & levi quadam rerum intelligentia contentum eſſe

vo-

voluiſtis. Nihil autem a perfectione aberrat magis, quam ut leviter diſcas, quod optime tenere debes. Illud enim neſcio quid continuo apparet, atque extat, quo facile declaratur, utrum is, qui ſcribat, tantummodo adumbrata quadam earum rerum, de quibus ſcribit, cognitione ſit coloratus, an ad ſcribendum doctrina omni diligentiſſime imbutus acceſſerit. Eadem, quæ peregrinum a cive, doctum hominem a non ſatis docto diſtinguit oratio. Ergo iſtud in ſermone notabitur, effugiet in ſcripto? Quod quidem non prætervolat, ut oratio, ſed hæret diutius in oculis animiſque legentium. Illud Socratis probabile pleriſque videtur, neque tamen verum eſt, omnes in eo, quod ſciant, eloquentes eſſe: At illud apud Ciceronem Craſſi veriſſimum, qui negat de iis rebus, quæ non fuerint antea plane cognitæ, bene quemquam aut loqui, aut ſcribere poſſe. Si igitur Scriptori noſtro politicæ, ac theologicæ res pertractandæ, quæ neceſſario pertractandæ ſunt, utramque ille quidem ſcientiam non ut alienam attingere, ſed poſſidere debet ut propriam & ſuam. Arduum ſane opus, dictum eſt jam ſemel atque iterum, ſed aliter fieri non poteſt, ſi illud ſequi volumus, quod in omni re ſummum & perfectiſſimum eſt. Neque vero tibi non æquum videri, Forti, debet, eam a me Scriptori meo poſſeſſionem dari, unde Juriſconſultos non ego quidem, ſed Plato dejeciſſe videbatur. Non enim Juriſconſultus expoſtulare, & queri jure poteſt iis ſe rebus ſpoliari, quas ab eo licet ſejungas, nihil tamen deperit de ejus officio, &

no-

nomine. At Scriptori nostro civilium divinarumque rerum scientiam si eripias, quid, quæso, relinques, nisi illum, quem recte & vehementer improbas, nulla subjecta sententia, sonitum inanem verborum? Theologi vero atque politici, quum de amplissimarum disciplinarum magnitudine nihil deminui videant, si in earum quasi possessionem immittam scriptorem meum, quid querantur? Habitent illi quidem in sua quisque scientia, deque eo genere rerum, quæ ad se pertinent, acute disputent atque subtiliter; nihil demum reliqui faciant, quod ad pulcherrimas disciplinas ornandas illustrandasque desiderari posse videatur: Non solum non recuso, sed etiam vehementer laudo: faciunt enim, quod proprium ipsorum est. Sed neque Scriptor noster, si easdem res ad usum suum necessario traducat, aut illis quicquam detrahet, aut sibi non assumet, quod suum est. Non enim dico, theologum, aut politicum esse posse neminem, quin idem sit Pontificiarum scriptor epistolarum; sed id dico, id omni ratione contendo, nullum esse posse Pontificiarum epistolarum scriptorem optimum, nisi ad easdem epistolas conscribendas politicarum divinarumque rerum cognitione instructissimus accedat. Nostra igitur (si modo scribimus Pontificis nomine, qui est ipse humanarum divinarumque rerum in terris caput & fons) nostra, inquam, est possessio illa rerum divinarum, & politicarum, ubi tamquam domini consistere, vagarique libere, & quodammodo regnare debemus. Quæ pulcherrimæ disciplinæ, si rite diligenter-

que

que excolantur, jam minime verendum est, quin efferant ipsæ per sese eam copiam, elegantiamque verborum, quæ scriptoris nostri sit propria maxime. Rerum enim copia copiam gignit verborum, quæ numquam non facile occurrent atque incident, ubi quemadmodum Horatius ait,

Lecta potenter erit res ;

præsertim quum luctuosum illud ac fatale rerum verborumque dissidium, unde in disciplinas fere omnes non minima invecta est pars incommodorum, aut nullo alio, aut ab hoc scribendi genere abesse omnino debeat.

Atque hic non alienum videtur, explicare perbrevi, quales hæ sint Epistolæ Pontificum Romanorum, in quibus Scriptoris nostri elucere debet industria. Aucto enim, ac mirum in modum propagato sanctissimæ religionis Imperio, propter multiplicem negotiorum varietatem, de quibus & consulebatur & respondebat Romanus Pontifex, varium quoque & multiplex extitit Pontificiarum epistolarum genus. Omitto autem perveteres illas, quæ *Formatæ*, quæ *Tractoriæ*, quæ *Synodicæ*, quæ *Encyclicæ*, quæ *Privatæ* dicebantur: non enim ægre utor iis verbis, quibus res, sin minus latine, certe magis dilucide explicantur. Sed de his epistolis, aliisque plurimis non est dicendi locus, quum & Pontificibus Romanis eæ fuerint cum ceteris Episcopis communes, & a multis ecclesiasticarum rerum admodum prudentibus viris, præsertim vero a Francisco Bernardino Ferrario de iis fuerit diligenter, copioseque pertractatum.

tum. At epiſtolæ illæ propriæ Pontificum Romanorum, quas antea diſperſas collegit primum omnium Dionyſius Exiguus, deinde Antonius Cardinalis Caraſia, tum Antonius Aquinas, cui debere ſe plurimum ille Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ parens Baronius profitetur; poſtremo autem Petrus Conſtantius Benedictinus, qui inchoatum eorum, modo quos nominavi, laborem ad Innocentium uſque III. producere voluit; Eæ, inquam, epiſtolæ nunc quidem in partes tribuuntur duas. Aliæ enim *Bullatæ*, aliæ *Breves* appellantur: diſcrimen autem *Bullatas* inter & *Breves* quod ſit, & quando incœperit, ii afferant, qui Pontificum Romanorum Diplomata illuſtrant. Sed neque *Brevium* epiſtolarum una atque eadem ratio eſt. Nam aliæ ſummis de rebus a Pontifice Maximo ſcribuntur ad Reges & Principes: Aliæ autem veluti Diplomata ſunt, quibus conſignantur beneficia Pontificum. Atque illæ quidem elegantius quoddam retinuerunt ſcribendi genus: hæ incultius atque horridius, propterea quod certis quibuſdam formulis continentur, quas conditio temporum invexit, atque ita demum amplexa eſt conſuetudo, ut jam neque improbari ſine quadam temeritatis nota, neque mutari ſine multorum querela poſſint. Quamquam ego quidem non video, quid de iis detrahatur, ſi ad rerum ſanctitatem, quæ maxima eſt, verborum addatur elegantia. Neque hujus ipſius elegantiæ ſi exempla quærantur, exempla deſunt; veluti illud, quod Pauli III. nomine ſcripſit Sadoletus, & in Urbis loco celeberrimo inſculptum marmore

ad

ad Jacobi in via Flaminia viſitur. Quod exemplum propalam poſitum eos (credo) fugit, qui ſolœciſmos, ſi Deo placet, & barbariſmos appellant formulas, negantque multa bene poſſe ſcribi, niſi inepte ſcribantur. Verum, illis omiſſis, de his loquamur Epiſtolis, quæ proprie ad nos pertinent, & in quibus nemine, ut arbitror, repugnante, latina non incommode verſari poteſt, & vero etiam debet eloquentia; quæ jam ſpreta a Philoſophis atque Theologis, pulſa e veſtro foro, locum hunc fere habet unum, ubi publice poſſit conſiſtere. At vero eloquentia nomen quomodo obtinebit ſuum, ſi verba negligat? & ipſa niſi proprie rem ſignificent verba, unde eniteſcent? Scriptor autem noſter niſi latinam plane noverit linguam, qui poterit verbis uti propriis & lectis, in quo profecto vis maxima eſt ad bene ſcribendum? Delectum enim verborum originem eſſe eloquentiæ dixit Cæſar, Cæſar, inquam, qui in maximo Imperio, maximiſque occupationibus non alienum exiſtimavit dignitate ſua, de ratione latine loquendi accuratiſſime ſcribere. Sit igitur mihi latinis literis inſtructus Scriptor ille, de quo loquimur, neque hominum leviter eruditorum, quorum videtis quanta ſit hodie multitudo, opinione & concurſu abſtrahatur; qui totum hoc latine ſcribere aut ineptum omnino, ut negligendum, aut non tanti putant eſſe, ut docti hominis mentem curamque detineat. At mihi inepti eſſe hominis videtur oſtentare eruditionem, & negligere illud, in quo tam multi præſtantes ſapientia viri elaboraverunt, & rurſus maxime docti

lin-

linguam illam excolere, a qua tantum in literas omnes profluxit luminis, atque ornamenti. Neque hoc in eam partem disputo, ut dicam: natam esse in hac urbe latinæ eloquentiæ laudem: ab hac urbe profectam ad omnes fere gentes accessisse, omnium instructam genere scriptorum, omnium litam luminibus disciplinarum: hanc unam laudem esse reliquam, qua victi propemodum ab exteris victores vincamus ipsos; atque adeo necessario nos commoveri debere ad hujus linguæ studium Romani nominis splendore, majorum gloria, nostro ipso honore & fructu. Verum hæc prætereo omnia: Unam specto Religionem, a qua neque Pontifex, neque Pontificias qui conscribit epistolas deiicere oculos usquam debet. Ecclesia enim, quæ Latina dicitur, latini sermonis usum in sacris, in cæremoniis, in decretis semper retinuit suis, atque ita retinuit, ut quadringentis non ante annis desitum sit latine loqui in iis etiam concionibus, quæ in templis haberi ad populum consueverunt (id quod observavit Fontaninus multæ homo eruditionis, & amicus meus); ut Pontifex Romanus non sine quodam neque inutili consilio, si quis attentius animadverterit, Oratores olim Principum, nisi latine loquentes, non audiret: Episcoporum vero epistolas, non latine conscriptas, etiam repudiaret; ex quo nemini mirum videri debet, tantam fuisse Pontificum Romanorum, & Conciliorum quoque in latina lingua conservanda curam, atque diligentiam. Aut igitur abiicienda est antiquissima hæc Romanæ Ecclesiæ consuetudo, aut hu-

jus

jus linguæ studium necessario suscipiendum. An vero, quod est scire necessarium, non erit recte facere pulcherrimum? Scriptori certe nostro illud est diligenter providendum, ne parvi interesse putet, latine dum scribat, vitiose, an eleganter scribat. Nam neque latinum est, mea quidem sententia, quod incultum, quod barbarum est; neque dici potest, quantum rebus ipsis momenti accedat a ratione scribendi. Quod ni ita sit, cur easdem res, si ornate explicentur, legit quisque avidissime; sin tractentur horride, aut nemo legit, aut legit invitus? Cur ipsa interdum veritas infantia obruitur, & perversitate scribentis? Et contra eminent, lateque dominantur errores una styli elegantioris commendatione probati? Equidem quum video Pontificiæ caussam dignitatis fœdari sordibus semilatinæ dictionis, multo acriore ardeo doloris vi, quam si excellens ille pictor Corrigius noctem illam suam misere deformatam videret in trivio. Atque ut illa cœno oblita vix posset agnosci, sic inquinatæ scriptorum barbarie sanctissimæ res aliæ videntur, atque quum elegantibus expolitæ verbis, tamquam tabulæ collucent bene pictæ, atque in bono lumine collocatæ. Tanti interest in scribendo cura verborum! Ubi nunc sunt isti, qui, ut videantur prudentia quadam repudiare, quod assequi ingenii tarditate nequeunt, elegantiam contemnunt elocutionis? Et rebus intenti non se de verbis laborare dictitant? Nos autem, qui paullo accuratius studemus elegantiæ, grammaticos jam per contumeliam vocant? Salse admodum Cujacius, re-

ſtitutor ille Juris civilis, qui quum a legulejo neſcio quo exagitaretur ut grammaticus, latinæ quod erat elegantiæ ſtudioſus; ſcilicet, inquit, huic dolet non eſſe talem. Quamquam optandum nunc quidem foret, ut Romani homines dolerent neſcire latine, neque novis quibusdam opinionibus depravati gauderent jacere ſuæ linguæ ſtudium, quæ quidem eſt non leve Italici nominis decus, &, id quod caput eſt, Pontificiæ auctoritatis inſtrumentum.

Sed ut eo revertar, unde me juſto quodam expreſſa dolore oratio averterat, ſcribendum nobis eſt & latine & eleganter; neque tamen non fugienda eſt in verbis ſtruendis, atque illuminandis operoſa nimis diligentia. Elaborata enim concinnitas puerilis eſt, & detrahit orationi auctoritatem, & fidem. Quo in genere valde peccatum eſt ab iis, qui veterum latinorum verba ita cupide, atque intemperanter amplexi ſunt, ut alia omnia faſtidirent, atque illa etiam, quæ aut neceſſitas aſciverat, aut Religio conſecraverat. Tale autem vitium ex eo profectum eſſe arbitror, quod ubi primum e diuturnis tenebris, quas latinis literis erumpentes in Italiam Barbari offuderant, lux affulſit aliqua elegantiæ atque humanitatis, perſtrinxit ſtatim adeo hominum mentes, ut ejus neque uſum, neque modum viderent. Unde illa nata ſunt, ut alii ex latinis auctoribus verborum tantum floſculos delibarent & carperent, obliti ſententiarum, atque in unius vocabuli controverſia dijudicanda ingenium omne, atque ætatem abſumerent; Alii nullum probarent verbum, quod non eſſet

a Ci-

a Cicerone desumtum, ab iisque, qui ab hac opinione dissentirent, capitali odio dissiderent; Alii demum, quod multo est flagitiosius, nova novis rebus (id autem semper licuit) non ausi imponere nomina, a Christiana veritate mallent, quam a latina elegantia discedere? Hisce autem ineptiis quid tandem sunt assequuti? An numerum in scribendo majorem? an copiam? an prudentiam? Ineptus sane Aonius Palearius, cetera luculentus latinitatis auctor, qui, quo numerosior caderet oratio, invocandos esse Deos immortales, non Deum censuit. Copiosissimi Ciceronis jejunus imitator Longolius, qui, dum colorem quærit alienum, sanguinem etiam, siquem habet, deperdit suum. Julius vero Scaliger perridiculus, qui totis concidit voluminibus Erasmum hominem non inelegantem, optimeque meritum de literis, hanc unam ob caussam, quod servilem Ciceronis imitationem facete irriserit. Quem autem appellem Bembum Cardinalem? Eum certe, arrepta occasione calumniandi, non veretur impium dicere Scipio Gentilis, qui Lipsii discipulus fuit. Uterque autem vel invidia, vel odio elatus fuit adversus elegantiæ latinæ patrem Bembum. Cujus ego Bembi, ut in Epistolis Leonis Decimi nomine scriptis latinam summopere admiror elegantiam, & dignam Principe eloquentiam, ita non possum non improbare errorem (utar enim leviore, quam Scipio verbo; Non enim impietatis nomine digna est, quæcumque illa fuit, scribendi superstitio, neque maledici conviciatoris acerbitatem doctissimi, amplissimique

viri dignitas recipit). Sed tamen quid absurdius? quid porro a sua, atque a Pontificis persona alienius, quam quum Christi Vicarium, tamquam Jovis aliquem, aut Martis flaminem dicentem facit, *creatum se Pontificem beneficio Deorum immortalium*? Aut in magna reipublicæ tempestate hortantem Venetos, *uti fidant Diis immortalibus*? Sanctissimam vero Dei Matrem, cujus templum est sane magnificum apud Lauretanos & religiosum, *Deam* dici *Lauretanam*, quis ferat? Pellatur igitur hæc a Pontificiis Epistolis superstitiosa veterum imitatio; quæ si in Paleario, in Longolio, in Scaligero odiosa fuit atque irridenda, quanto erit magis reprehendenda in scriptore nostro, qui debet in scribendo modum semper adhibere illum, ut elegantia obtemperet Religioni?

Ecce autem de transverso alii, qui omni prophanorum contemta elegantia, *Ecclesiastice*, ut ipsi ajunt, scribi dicunt oportere. In quo illud primum quæro, quid istuc sit, quod tantopere inculcant? Nam si veterum illorum Ecclesiæ Patrum, quorum in scriptis multa etiam extant singularis eloquentiæ vestigia, doctrinam imitari, eque Divinæ Sapientiæ thesauris (quod illi apte prudenterque fecerunt) exempla depromere, proferre sententias, easque dilucide atque ornate explicare, & sacrorum etiam librorum verbis, ubi majorem habent ad significandum vim atque auctoritatem, parce, atque opportune uti, iisque, veluti sideribus Cælum, Pontificias epistolas exornare; id si putant esse Ecclesiastice scribere, optime sentiunt, suæque

que

que sententiæ adscribant meam. Nam quid illud est, quod ego paullo ante tam arcte tenui, accurateque defendi, cognoscenda esse scriptori nostro sanctissimorum virorum monumenta atque præcepta, totamque Divinarum rerum scientiam penitus hauriendam? Sin autem nulla puri sermonis, nulla numeri habita ratione, tertio quoque verbo ingerant *Filialem obedientiam*, *paternum zelum*, aliaque hujusmodi; si sacris e libris verba utcumque inferciant, & sensus quosdam afferant mutilos, atque hiantes, eamque ob caussam germanos se esse arbitrentur Scriptores Ecclesiasticos, næ illi egregie falluntur; & quam vereor, ne in hac Ecclesiastici styli quasi latebra eorum delitescat inscitia. Fuga enim laboris, qui est in recte scribendo sane maximus, disertam (quod ait Cicero) negligentiam reddidit imperitorum: ut id non oportere disputent, quod propter ignaviam non libet. Quid? quod hujusmodi scriptionis genus qui consectantur, in propinquum interdum, & finitimum vitium delabuntur, ut sacrarum literarum verbis temere effrænateque abutantur? Nollem hac in re peccatum esse ab eo, quicumque tandem fuit auctor illius epistolæ, in qua Pius II. doctissimus Pontifex, quum jam senem Maurum Ducem Venetorum ad bellum Thracium hortaretur, quod bellum gerendum erat Philippo Sequano Imperatore, qui annos erat (bene si memini) octoginta natus, hanc suam cum duobus illis senibus conjunctionem *senilem* non dubitavit appellare *Trinitatem*. Frigidum sane dictum, neque Pontificium. Et ta-

men hoc erratum facile prætermisissem, nisi notatum ab aliis dissimulari non posset, & præterea maxime esset insigne ad cavendum. Nam quod Sanctorum Patrum nomina opponunt, maxime vellem hos tam bene illi imitarentur, quam ego laudo & admiror. Imitarentur enim, quæ majora sunt in eorum scriptis, sanctitatem doctrinæ, gravitatemque sententiarum, non minora illa, quæ temporum vitio irrepserunt. Quamquam ne in Patribus quidem desunt exempla latine scribendi. Quis enim Cypriano elegantior? quis Lactantio eloquentior? Prudens igitur Pontificiarum Scriptor Epistolarum & vitiosam illam fugiet coacervationem, & hanc vitabit sacrarum literarum translationem inverecundam; neque existimabit se *Ecclesiastice* scribere, si male & ineleganter scribat. Ecclesiæ enim caussa, & Pontificis dignitas non læditur elegantia sermonis, sed ornatur. Obmutuerunt admiratione quadam Romanæ Ecclesiæ hostes, ubi ad eos allata est Epistola illa Pauli III., quæ Concilium haberi generale jubebat, plena gravitatis, plena dignitatis, plena etiam elegantiæ. At iidem, quum deprehendissent aliquid aliquando non satis accurate scriptum in Epistolis, quæ multæ datæ sunt a Pontificibus, tempore illo difficillimo, quam insolenter riserunt, stomachatique sunt! Male illi quidem; Namque, ut Demosthenes Æschini quum responderet quædam sua paullo horridiora reprehendenti, negabat in eo positas esse fortunas Græciæ; sic nemo sanus dixerit, in verborum elegantia sitam esse Ecclesiæ, & Pontificis auctori-

ctoritatem. Sed tamen nostri melius, si hanc quoque improbis hominibus præripuissent caussam ad maledicendum. Quid enim censetis fuisse, quamobrem Pontifices sapientissimi viros non solum doctos, sed etiam latinæ linguæ admodum peritos adhibuerint ad præcepta tradenda Christianæ sapientiæ, unde aureus ille liber prodiit, qui Romanus dicitur Catechismus? Cur Mediolanensis Archiepiscopus sanctissimus, & acerrimus Ecclesiasticæ vindex disciplinæ Carolus, ut Ecclesiæ suæ acta non ineleganter perscriberentur, magnopere curaverit? Qua vero diligentia, quo studio excultum est genus hoc epistolarum, de quibus loquimur, a Sylvio Antoniano, non mediocri homine ingenio & eleganti? Imitentur hunc, qui Pontificias epistolas scribunt, & *Ecclesiastice* volunt & ornate scribere. Nam, tametsi hic ipse non interdum impleat animi mei sensum, nonnullaque afferat, quæ non satis habent roboris & nervorum, tamen ille est fere unus, qui scribendi rationem accommodarit ad eam perfectionem, quam sequimur.

Erit igitur in Scriptore nostro indoles illa quædam Ecclesiastico digna Principe: erit castitas atque elegantia sermonis: utraque autem ita attemperabitur res, ut in Pontificiis epistolis religionis studium semper, artificium elocutionis nunquam appareat. Artificium enim elocutionis manifesto deprehensum offendit homines, & longissime abest a decoro illo, quo nihil esse debet scriptori nostro antiquius.

Decori autem vis ea est, diligenter ut inquiratur, quid quemque deceat. Decet autem id, quod est cujusque suum maxime, idque est in omni re magnopere animadvertendum. Hoc igitur attendet Poeta in carmine, actor in scena; & nos in Pontificiis conscribendis epistolis negligemus? An gravior ulla potest esse, an augustior Pontificis Maximi persona? Quem homines stupefacti magis intuentur? De quo cupidius avent scire, quid scripserit, quomodoque scripserit? Personam igitur præstantissimam omnium, omniumque oculis sermonibusque propositam videre quid deceat, id summa est cura elaborandum: Et tanti est in ejus conscribendis epistolis, ut sine hoc, quod Pontificium Decorum dicimus, nihil valeant omnia hactenus allata scribendi præcepta; minimeque erraverim, si primum id atque extremum Scriptori nostro præceperim, ut Pontificem quid deceat, probe norit. Nam si id norit, primum sentiet ipse subito, quam magnum, quamque difficile munus sustineat, delectus ad Pontificias conscribendas epistolas, multis implicatas operosisque negociis, & quum Regiæ ac Pontificiæ potestatis in una persona conjunctam mirifice vim perspexerit, intelliget non ingenio solum, & fide, ac diligentia, sed omnium etiam humanarum, divinarumque rerum cognitione maxima opus esse, ad sensa mentis explicanda, & consilia tantæ majestatis. Quod optime ut faciat, non contentus vulgaribus quibusdam politicæ doctrinæ præceptis, quæ, novitatis specie dum percellunt animos, veræ sapientiæ ner-

vos

vos elidunt, veterum assuescet præclarissimorum auctorum lectioni, eorumque incredibilem prudentiam ad rem suam, atque ad usum transferet præsentis Reipublicæ. Idemque, quum Christianam Religionem humanæ societatis effectricem, atque custodem esse, plurimumque ad Pontificii auctoritatem dominatus pertinere intellexerit, attollet sese altius, ad ipsosque accedet Theologiæ fontes sanctos, atque augustos, unde quum se ad scribendum retulerit, quanta, & quam varia ipse affluet magnificentia rerum verissimarum! Hæc autem omnia latinis exornabit verbis propriis, & lectis, eaque scribendi ratione, quæ neque nimio depicta sit artificio, neque insolenti decolorata barbarie, sed quæ gravis sit, quæ dilucida, quæ splendida, quæ Pontificem deceat regentem populos, monentem Reges, edentem omnibus leges, & præcepta sempiternæ salutis: quæ cohortari ad virtutem ornate, quæ prudenter revocare a flagitio, quæ optimos collaudare viros, quæ deterrere improbos possit, quæ denique ipsius in terris imaginem quandam afferat, & sermonem omnia regentis, & moderantis Dei.

Hæc *Lucchesinius* quum dixisset, & silentium fuisset aliquod consequutum, tum ego, Deus immortalis! inquam, qualem tu nobis Scriptoris tui formam, Lucchesini, proposuisti! quam elegantem! quam novam! quam refertam omnibus & rerum, & verborum ornamentis! Id ipsum, inquit *Furiettius*, ego sum, Lucchesinio dicente, admiratus. Quid Fortius? Et ille, Noli, inquit, quærere, qui ita sum ejus

ora-

oratione commotus, ut vel jurisconsultis nostris Scriptorem illum suum minime jam dubitem anteponere. Nempe, inquit *Furiettius*, in eo standum putas, quod judicatum olim fuit. In quo tandem ? inquit ille: non enim novi. Tum *Furiettius*, Quondam, inquit, quum floreret Scriptorum Collegium horum, de quibus est a Lucchesinio sermo institutus, orta est eos inter, & Advocatos, uti vocant, Consistoriales controversia, utri utris dignitate antecederent; quumque multum esset, atque acriter utrinque disputatum, Pontifex, qui tum regnabat, sapientissimus rem secundum Scriptores judicavit; Atque ita Advocati, qui alienas obtinere caussas consueverunt, offenderunt in sua. Sane, inquam ego, ita est. Nam legi in eam rem conscriptam epistolam a Leonardo Aretino, qui & ipse ex eo Scriptorum Collegio erat, in qua quum multa, tum illud imprimis ab eo memini afferri: Mirari se, qui potuerit in mentem hominibus venire, quos in foro, non in aula versari oportet, de dignitate apud Pontificem cum iis contendere, qui ipsius esse deberent intimi Pontificis, & gravissimorum participes consiliorum. Tum *Fortius*, Me vero nihil ista de loco, inquit, contentio movet, quæ levis est, etiam quum necessaria videtur. Illa movent, quæ de scriptore illo tuo, Lucchesini, dixisti præclara, atque divina. Quamquam vereor, ne, quum ostendere volueris, quales esse debeant Pontificiarum epistolarum Scriptores, ostenderis fuisse nullos.

Hic

Hic *Lucchesinius*, Fuerunt enimvero, inquit, si non ab omni elegantiæ laude fœlices, ea certe in scribendo auctoritate, & vi, nihil ut in eorum epistolis inesse non videatur vel ad docendum sapientiæ, vel ad permovendum eloquentiæ; minimeque mirum sit, tanti eas apud veteres fuisse, ut Adrianus Primus Pont. Carolo Magno Romam advenienti, tamquam munus luculentum obtulerit uno volumine comprehensas epistolas Pontificum Romanorum. Legendæ certe sunt Leonis Primi, Felicis Tertii, Gelasii Primi, Symmachi etiam, & aliquorum ejus ætatis Pontificum epistolæ illæ antiquiores, minus bonis, quo magis admiremur, perscriptæ temporibus latinæ eloquentiæ. Quam multa in iis de abditissimis Religionis nostræ mysteriis! quam multa de divinis legibus! quam multa de moribus conscripta sunt apte, subtiliter, dilucide! Illa vero, quæ requirebant scribendi quoddam genus splendidius, atque nervosius, quam magnifice! quam graviter! Fuerunt Hæreticorum confutandi errores? Ut illi res involutas explicarunt, distinxerunt ambiguas, veras illustrarunt! Fuit Rex aliquis monendus, vel Cæsar, ut ne in rerum divinarum administrationem invaderet? temperatam persequuti sunt, & mediam quandam scribendi rationem. Jus omne retinendæ Pontificiæ dignitatis, in Byzantiorum maxime Antistitum minuenda arrogantia, continebatur. Ergo in omni genere objurgationis exarserunt; neque ita tamen, ut non huic orationis generi acri, & vehementi illud alterum lene, & sedatum admisce-

ſcerent: Ne videlicet dignitatis retinentiſſimi qui erant, manſuetudinis obliti viderentur. Nam quid ego dicam de GREGORII Primi epiſtolis, quæ tanta, & tam admirabili refertæ ſunt varietate, & copia rerum omnium?

Atque hic eſt ſine controverſia primus, de quo ſit memoriæ proditum, ſcriptorem fuiſſe Pontificiarum epiſtolarum, & ex eorum numero habitum eſſe, quos ex me cognoſcere vos velle dixiſtis. Antequam enim Pontificatum nactus eſſet, plane conſtat, adhibitum a Pelagio Secundo fuiſſe, qui ejus epiſtolas conſcriberet. Nam HIERONYMUM, & PROSPERUM Aquitanum ejuſmodi munere functos eſſe, ſuſpicari magis poſſumus, quam liquido confirmare. Ille enim accerſitus a Damaſo eſt propter ſacrarum literarum peritiam ſingularem atque admirabilem, qui de his tantum rebus, quæcumque in diſceptationem quæſtionemque vocarentur, conſuleretur a Damaſo, ut ipſius fuiſſe potius videatur ſtudiorum adjutor, quam ſcriptor epiſtolarum. In Damaſi præterea epiſtolis nihil ineſſe videtur impetus illius concitatioris, qui eminet in Hieronymo, in eumque fortaſſe vel a fervore quodam ingenii, vel a declamandi exercitatione profluxerat.

Neque vero idem eſt ſtylus Proſperi, & Leonis Primi, ut hujus epiſtolas conſcripſiſſe illum aſſeveremus. Nam Proſper attenuata quadam utitur, & preſſa oratione, in qua tamen ſatis eſt virium ad diſſerendum. Leonis contra ſermo grandis eſt, & late explicatus, quæſitaque

que verborum collocatione numeroſus, & ob eam ipſam cauſſam nimis interdum redundans.

Sed ut ad Gregorium redeam, mitto, qua vir fuerit ſanctitate, qua Pontifex conſtantia, & conſilio. Scriptorem enim hoc loco quærimus, eoque noſtra omnis referri debet oratio. Fuit is igitur liberaliter inſtitutus, quippe Romæ ſummo loco natus, &, quum Pelagii Secundi Legatus fuiſſet multos annos apud Tiberium Cæſarem Byzantium, ab eodem Pelagio ad epiſtolas Pontificias conſcribendas adhiberi cœptus eſt. Erat homo rei Chriſtianæ, reique publicæ peritiſſimus: inde illa ſcribendi gravitas, & moralium ſententiarum crebritas. Quæ quidem lucet in epiſtolis maxime, quas, tenuiſſima quum eſſet valetudine, ſcripſit amplius octingentas, præceptis refertas omnes utiliſſimis ad Eccleſiæ diſciplinam, atque ad hominum mores. Nullus tamen apud hunc flos ſinceræ latinitatis, nec lumen ullum artis reconditioris, quam vel contemſiſſe videtur, ſpreta veterum lectione, vel non potuiſſe conſequi, temporum vitio impeditus. Multæ certe tranſlationes, & longæ, eoque minus aptæ: verborum item ambitus, non delectus, ut, quum legas, numerus quidam latinus non deſit, elegantia deſit.

Sed ea ſunt Gregorium tempora conſequuta, ut ne ex ea quidem parte omnino improbandus videatur, qua inelegans eſt, atque horridus. Nam Joannem quendam Abbatem, quem Maximus Monachus, qui eodem tempore floruit, Honorii Primi epiſtolas conſcripſiſſe

psisse refert, & doctrina totum illustrasse Occidentem significat, clarum esse video Maximi hujus testimonio, non scriptis suis, quæ nulla extant. Itaque, ut hunc omittamus, sunt Gregorium tempora consequuta adeo bonis artibus tetra, atque infesta, ut latina eloquentia, quæ in servilem projecta adulationem, a pristino jampridem splendore recesserat, funditus fere interiret. Si quid tamen in illo interitu, atque occasu literarum reliquum fuit in scribendo humanitatis, atque elegantiæ, Romæ certe, atque in Pontificum epistolis fuit; adeo ut eloquentia, quæ, Romana vigente Republica, fuerat libertatis, facta esse quodammodo videretur alumna Religionis. Nam quum effervescentium impetu barbarorum perculsa succubuisset Italia, veterum Romanorum deletis institutis, necessario factum est, ut victricium Nationum mores Itali homines primo amplecti, deinde (quæ vis est consuetudinis) etiam adamare cœperint agrestes, atque horridos, & plane militares, quos ab optimis infringi studiis existimabant. Itaque humaniores contemnebant disciplinas, quas ignorabant, easque Sacerdotibus pene solis reliquerant, qui & instituto vivendi suo a cædibus, atque armis abhorrere debebant, & latini sermonis usurpandi necessitate, aliquid temporis, atque operæ literis impertire cogebantur. Quum autem ne Sacerdotes quidem ipsos puderet, studiis neglectis, arma tractare, tum vero per omne vitiorum genus victrix erupit ignorantia literarum, quæ late longeque diffusa, omnem fere extinxit ubique & bonarum ar-
tium

tium & latinitatis ſenſum. Ipſæ tum epiſtolæ Pontificum Romanorum communi hac fuerunt temporum labe contaminatæ, nullæ ut extent a Gregorio Primo ad Gregorium uſque Septimum, quæ virtutem habeant aliquam orationis.

At Gregorius Septimus liberalibus diſciplinis ſatis, ut illa ætate, inſtructus, animum ipſum, quem habuit a natura, &, quem maximarum rerum aſſidua, acerrimaque cogitatione exercuerat, robuſtum, atque excelſum attulit ad ſcribendum. Itaque etſi is non diſcedat omnino, ſi verba ſpectes & numerum, a barbarie ſuorum temporum, ſententiis tamen ita grandis eſt, ita incitatus, ut animos legentium obruere auctoritate, perfringere impetu videatur, denique facile ut appareat Gregorii epiſtolas eſſe, ejus, qui ampliorem quandam Pontificatus formam primus induxerit, & rationem primus inſtituerit, quemadmodum Pontifices non ſolum colerentur ab Regibus, ſed etiam timerentur. Poſt hunc autem Gregorium, omnium eorum Pontificum, qui jacentibus adhuc literis fuerunt, epiſtolas ſi legas, illis quidem temporibus nihil habebis in ſcribendo fortaſſe melius. Tempora enim illa, quamquam ſuperiorum inſcitiam miſerabilem ex aliqua parte depuliſſe viderentur, nondum tamen barbaræ, atque incultæ dictionis ſordes penitus abjecerant. Erant certe, qui Theologiæ, erant, qui Juriſprudentiæ, erant etiam, qui Grammaticæ operam darent multam magis, quam utilem. Nam eadem vigebat adhuc bonorum ignoratio

Librorum, magiſtrorum inopia, eloquentiæ nox; donec a Franciſco Petrarcha in tantis tenebris lumen eſt aliquod ſublatum melioris eruditionis; primoque ab hoc commoti ſunt homines ingenio, & doctrina præſtantes, ut auderent accuratius, quam ſuperiores, & ornatius ſcribere. Atque hic ſtatim propter nominis celebritatem ab Urbano Quinto evocatus Pontificias & ipſe conſcripſiſſet * epiſtolas, niſi literatum otium arctiſſime amplexus, divelli ab eo nullius neque utilitatis, neque honoris invitamento potuiſſet. Nimirum is multa ſcripſit, fuitque & Orator, & Poeta Latinus, in eo ſane probabilis, quod, ſi non omnium optime, omnium certe princeps, impolitæ vetuſtatis quaſi fuliginem abſterſerit.

Sed enim hæc facta Petrarchæ mentio commonet me, ut ad Scriptores aliquando noſtros redeam, a quibus aberrare jamdiu videor, dum nimis multa, & fortaſſe aliena de Pontificiis epiſtolis diſputo.

Tum *Furiettius*: Iſta vero, inquit, neque aliena tibi fuerint de Scriptoribus loquenti Pon-

* Ipſe de ſe Franciſcus Petrarcha in Epiſtola ad Franciſcum Rinuccium, Nicolai F. in qua *De ſucceſſibus ſuis in Romanâ Curiâ* ſermonem habuit, ſcripſit, a nonnullis principibus viris id actum fuiſſe, ut ei Pontificias conſcribendi Epiſtolas munus demandaretur, ſed quibuſdam, ad quos ea res ſpectabat, altiori uti ſtylo, quam par eſſet, viſum eſſe; adeoque infectâ re ad otium rediiſſe. Ea epiſtola eſt V. libri XIII. *Rerum Familiarium*, atque ita incipit: *Flebilem ridiculamque rem audies. Vocatus ad Curiam veni &c.*

Pontificiarum epistolarum, neque certe nobis audientibus injucunda. Miror potius, in iis Pontificibus commemorandis, quorum in epistolis ratio fuit aliqua latine scribendi illis temporibus, præteritum esse abs te Innocentium Tertium, magnum illum Juris Canonici auctorem, & principem. Hic *Fortius* arrisit, & simul, Scilicet, inquit, eo prætermisit, quod Jurisconsultus fuerit. Tum ille, Pergisne, inquit, Forti, me apud Jurisconsultos in invidiam rapere, quasi de iis minus, quam decet, aut amice, aut recte sentiam? Quamquam Epistolæ Innocentii Tertii non hominem tantum declarant peracutum ad excogitandum, quid in Jure, aut in æquo verum aut esset, aut non esset; sed maxime gnarum Reipublicæ, & de illa præsertim inter Philippum, atque Othonem de Germanico Imperio concertatione quum agit, genere utentem orationis solerti quodam, & ad rem, cum summa perspicuitate, mirabiliter apto. Verum de Pontificibus eatenus mihi dicendum fuit, ut ostenderem, barbaris etiam temporibus, latinæ eloquentiæ, si qua fuit, in eorum epistolis extare vestigia.

Et quoniam ita traxit commemoratio Pontificum orationem, ut ad Innocentium Tertium pervenerim, prætereundus non est Paulus ille Beneventanus, quem ipsius Innocentii epistolas collegisse reperio, & iis annumeratum esse Scriptoribus, quos percensere institueram. Ita prorsus, inquit *Furiettius*; sed mihi videris a Gregorio Primo, quem Pelagii

Secundi scriptorem epistolarum fuisse statueras, ad Paulum hunc Beneventanum nimis longo intervallo descendere, vel præcipitare potius. Atque id necessario, inquit ille; neminem enim, licet curiosius exquisierim, inter horum ætates interjectum esse video, qui quidem vere, & perinde atque a nobis intelligitur, Pontificiarum epistolarum Scriptor dici possit. Nam *Notarios*, & *Cancellarios*, & *Scriniarios* etiam, quos barbaro vocabulo appellant, (si tamen hi possunt in Scriptorum nostrorum cœtum, ac numerum venire) permultos sane ex incondita vetustate eruere, de iisque loqui, de quorum scribendi laude nulla monumenta loquuntur nec aliorum, nec ipsorum, quid, quæso, attinet? Præsertim quum neque ex inani eorum notitia quicquam accedat vel ad antiquitatis laudem, vel ad exemplum posteritatis; neque propositum sit colligere omnes, sed eos tantum Scriptores, qui clari fuerint. Atque ego omisissem etiam Beneventanum illum, eodemque & numero & tempore Berardum de Neapoli, qui Urbani IV. Clementis IV. Gregorii X., Ricardum Pofianum, qui Innocentii IV., Marinum Ebulensem, qui Gregorii X, Thomam Campanum, qui Innocentii V., Joannem de Bononia, qui Bonifacii VIII. epistolas conscripsisse dicuntur, nisi eos, annalium memoria teste, sciremus aut doctos fuisse, aut certe habitos.

Neque vero non multos fortasse, qui commemoratione digni fuissent, obruit tempus illud

lud difficile ac turbulentum, quo vaſtata bellis Italia, lacerata diſſenſionibus Eccleſia, & ipſa ad exteras gentes translata Sede Religionis, quum orbata annos ipſos LXX. Pontifice Roma, relicta direptioni, atque incendiis videretur, multæ privatæ, & publicæ tabulæ fœdiſſime perierunt. Itaque magna facta eſt in hiſtoria labes, ut ſcriptores Pontificiarum epiſtolarum non modo non exiſtimari, quales fuerint, ſed ne internoſci quidem poſſit, qui fuerint. Illud tamen exiſtimare facile poſſumus, ad tantum munus fere ſemper eſſe a Pontificibus adhibitos, & ultro etiam accerſitos, qualeſcumque illi fuerint, quos literarum, & latine ſcribendi fama præſtare cæteris intelligebant. Itaque accerſitus a Clemente VI. Andreas Calduinus, ab Innocentio VI. Zenobius a Strata; quinimmo ab Urbano V. Petrarcha, & quum is * recuſaſſet, ut antea diximus, evocati ſunt Franciscus Brunus, & Colutius Salutatus, tuus, Forti, Civis, qui eo munere functi ſunt. Jam magna utriuſque laus a Pontifice evocari, qualis fuit Urbanus Quintus, qui, quum Religionis illam cum literis conjunctionem ad Pontificatus præſidium magnopere neceſſariam eſſe intelligeret, uſque eo fovit ſtudia literarum, ut & multa multis in locis gymnaſia fundaret, & ipſorum ſtudiorum cauſſa adoleſcentes aleret mille, ne videlicet ſtudioſis aut induſtriæ ſubſidia, aut inſtrumenta doctrinæ deeſſent.

* Vid. Not. pag. 48.

At Colutius non mihi judicio Pontificis solum videtur, sed etiam scriptis probatus suis; a quibus quamquam abſit perfecta veterum imitatio, quæ multis poſt annis increbuit, non tamen abeſt perſpicuitas, non eruditio, non conatus etiam quidam elegantiæ. Haud enim tam ipſe eleganter ſcripſit, quam potuit admonere alios, ut eleganter ſcriberent. Nam, quod in pleriſque videmus uſuvenire, præcipiebat melius, quam ſcribebat. Et revera quum monendo, cohortando, percontando, communicando acueret, atque adjuvaret in ſtudiis juventutem, magiſter appellatus a Poggio eſt, & Pater ſtudioſorum omnium.

Multum a Colutio aberat non tempore, quippe æqualis prope, ſed ſcribendi facultate THEODORICUS NEEMUS, quem Bonifacii Noni familiarem, & Scriptorem epiſtolarum conſtat fuiſſe. Durus is fuit, incultus, horridus verbis, atque ſententiis; acerbus præterea, criminoſus, & in illo Pontificum diſſidio, cujus hiſtoriam inquinatiſſimo ſermone conſcripſit, partibus iratus etiam iis, quas ſequebatur. Et tamen hic quaſi ſcriptor in illa ſui temporis ſcriptorum paucitate non ad laudem, ſed ad notitiam aliquam hominum devenit. Ejuſmodi ſunt NICOLAUS DE AUXIMO, WILLELMUS BARO, JOANNES DE SANCTO MARTINO, PETRUS DE BOSCO, CONSTANTINUS DELLA PERGOLA, quos non eſt opus commemorare.

At hiſce barbaris habeo, quem opponam, non indiſertum Italum POGGIUM BRACCIOLINUM, qui anno poſtremo ejuſdem Bonifacii

No-

Noni scriptor fuit Pontificiarum Epistolarum. Is, quum latinæ in Italia jam literæ vigerent, & Chrysoloræ Byzantii adventu post septingentos tandem annos reviviscere græcæ inciperent, utriusque linguæ facultate instructus, genus illud scribendi suum, in quo satis est virium, & facetiarum, verbis interdum non satis latinis, neque splendidis infuscare videtur: Id quod ex scriptis ejus, quæ permulta edidit, facillime perspici potest. Etsi ita omnes tum scribebant, ut ad superiorum temporum barbariem, polite admodum, ut ad posteriorum autem diligentem elegantiam, parum nitide. Sed Poggius & non indisertus, ut paulo ante diximus, ipse fuit, & Innocentio Septimo, cujus, mortuo Bonifacio, familiaritate utebatur, auctor fuit, ut disertissimum hominem LEONARDUM ARETINUM amicum suum, & Jacobum Angeli filium Scarpariensem, in eandem societatem vocaret conscribendarum epistolarum. Homo enim optimis disciplinis rite excultus, non invidere æmulis studiorum suorum, sed favere didicerat.

Ergo Romam quum Leonardus Poggii notitia productus ad Innocentium venisset, statim offendisse apud Pontificem dicitur, & quod junior videretur, & quod competitorem haberet Jacobum Scarpariensem, doctrina quidem inferiorem, at superiorem, ut plerumque fit, studiis, atque opibus fautorum. Sed opportunitas temporis Leonardi doctrinam illustravit, omnemque obruit gratiam competitoris. Nam quum Bituricensium Duci respondendum

dum esset, qui magnis de rebus literas per eos forte dies ad Pontificem dederat, tentaturus utriusque in scribendo facultatem Pontifex, de Patrum etiam sententia, dat utrique negotium, ut literis illis rescribant. Quod quum accuratius Leonardus confecisset, & Pontificis, & Patrum omnium, qui responsa illa legerant, judicio victus discessit Jacobus; ipse autem scriptor factus, lætiorem ex contentione fructum gloriæ cœpit. Neque Innocentio Septimo solum, sed Gregorio etiam Duodecimo, Alexandro Quinto, & Joanni Vicesimotertio familiaris fuit, & maxime utilis: Idque quum sæpe alias, tum vix creato Pontifice Gregorio Duodecimo cognitum est. Nam quum literæ ad Benedictum Pseudopontificem, hominem vaferrimum dandæ essent, quæ illum ad pacem, & concordiam hortarentur, quæque ita graviter, & considerate scribi debebant, ut omnium vel obtrectantium judicium subire possent, unus, quum multis scribendi cura demandata esset, facile primas Leonardus tulit, atque habitus est in eo scriptionis genere mirabilis. Et certe scriptor fuit temporibus illis sat bonus, & copiosus, quamquam eo, quo cæteri ejus ætatis, vitio laboravit, ut flueret interdum lutulentus. Itaque, Erasmi etiam testimonio, diligenter latine scribendi laude caruit; & fortasse etiam, meo judicio, constantiæ, quum Joannem Vicesimumtertium, a quo florente ipsemet multa se beneficia accepisse prædicat, ejus jam præcipitante Pontificatu, deseruerit, eoque relicto ad Florenti-

ti-

tinos ſeſe in Etruriam contulerit. Quo item ſe Poggius contulit, verum acta jam ætate, & quum XI. ferme annos ad Nicolaum uſque Quintum in ſcriptorum numero fuiſſet.

Habuit igitur collegas Poggius, & æquales propemodum Bartholomæum Capram, Archiepiſcopum Mediolanenſem, ſcriptis factiſque clarum, Antonium Luscum Vicentinum, Rhetorem non contemnendum; Bartholomæum Politianum, poetam illis nondum ſatis eruditis temporibus tolerabilem; Cincium Romanum, literatum hominem, ac de literis, Lactantio, Vitruvio, Priſciano primum inventis atque in lucem editis, optime meritum; Maffæum Vegium Laudenſem, in heroicis carminibus non ſatis magnificum, ſed tamen poetam; denique Flavium Blondum, qui tametſi neque in hiſtoria fidem, neque in ſcribendo elegantiam omnem ſervaverit, non mediocrem tamen illuſtrandis Italiæ rebus in Scriptoribus ejus ætatis locum obtinet. Addamus huc etiam Joannem Aurispam Siculum, poetam, & oratorem, qui latine non peſſime ſcripſit, græcarum etiam literarum admodum ſciens; Et Nicolaum Perottum, qui Polybii libros quinque vertit e græco non ut interpres, ſed potius uti Livii imitator; etſi neque elocutionem Livii omnino aſſequutus ſit, neque Polybii ſententiam expreſſerit. Ingenio tamen, atque eruditione, optimi cujuſque judicio, excellens fuit. Neque vero prætereundum arbitror Dominicum Card. Capranicam, qui quidem etſi propter ſummam nobilitatem, &

singularem gerendæ reipublicæ peritiam magnus fuit, tamen etiam latine scribendi quandam mediocritatem habuit, proptereaque a Martino Quinto eodem ferme tempore in horum scriptorum numerum relatus est. Nam doctorum hominum amicitias coluit semper, & veterum omnium quum historicorum, tum poetarum lectioni pœne quotidianæ in maximis occupationibus assueverat. Et erat omnino tum mos, ut reliquis in rebus fortasse melior, sic in hoc ipso prudentior, ut principes in Ecclesia viri majore quodam essent erga optimas artes studio. Video etiam ab Eugenio IV. Paulum Capranicam alium ad Epistolas conscribendas adhibitum fuisse.

Sed nolite putare quemquam flagrantiore in literas animo fuisse Nicolao Quinto; quo Pontificatum tenente, pulcherrimæ omnes disciplinæ majorem assumsisse vim, atque existimationem videntur. Hoc igitur Pontifice & multi fuerunt ex iis, quos nominavimus, scriptores Pontificiarum epistolarum, & plures additi a Nicolao ipso, ad quem doctrinæ, & eloquentiæ fama præstantes certatim homines aut sponte, aut ab eo invitati confluxerant.

Hoc ex numero fuit Horatius ille Romanus, cujus græcæ latinæque facundiæ est auctor, & idoneus quidem, Æneas Sylvius Piccolomineus is, qui Pontifex fuit. Narrat enim, hunc delectum cum multis fuisse, qui Homerum latine redderet: Et hunc unum acri Nicolai judicio satisfecisse dicit: addit,

ab

ab Horatio id etiam perfectum esse perbonis versibus, & sane dignis, quos *sua miraretur, prisca non improbasset ætas*. Fuit etiam Rainutius Arretinus, cujus græcis in literis eruditio laudatur a Valla, qui fuit ejus auditor, in latinis facultas ex fabulis perspicitur Æsopi, quas vertit e græco accurate magis, quam eleganter.

Adjungantur iis Jannotius Mannetius Florentinus, qui philosophiæ deditus, literarum scientiam non neglexit, & tam promta fuit, & parata in loquendo, scribendoque celeritate, ut, quæ ab aliis græce legerentur, latine ipse statim redderet: Petrus Nucetanus, de quo nihil accepimus, nisi certum fuisse Nicolao Albergato Cardinali auctorem, ut in legatione illa sua nobili scriptorem epistolarum suarum in Galliam duceret Æneam Sylvium Piccolomineum, quæ prima fuit homini ad amplioris fortunæ spem commendatio. Atque ipse Æneas in eodem ante Pontificatum numero fuit, qui variis in Republica, atque in Ecclesia rebus, studiisque exercitatus & egit multa sapienter, & scripsit multa præclare, atque ita scripsit tamen, ut eruditio summa appareat, elegantia mediocris. At iisdem temporibus Petrus Candidus Decembrius, in quo elegantia fortasse major, vis certe minor, nullus numerus; scribendi autem labor infinitus, quum libros (si elogio credimus, quod in ejus sepulchro esse incisum accepimus) centum, & viginti septem, vulgaribus exceptis, aut scriptitaverit ipse, aut a græcis transtulerit. At-

Atque etiam fuerunt, eodem Pontifice Nicolao, Scriptores Pontificiarum Epistolarum Jacobus Vannucius, Tortellius Arretinus, Philelphus Tolentinas, Valla Placentinus; Placentinusne? Ita quidem erudito viro Georgio amico meo, qui Nicolai Quinti vitam conscripsit, videtur: At non mihi, qui Vallam audio hoc de se ipso palam prædicantem, quod Romæ natus, & ad virilem ætatem educatus fuerat: Et hi quidem literati omnes, sed in latina lingua existimatores magis metuendi, quam scriptores mirabiles. Erant enim eorum verba latina fere omnia, quorum momenta fastidiose perpendebant; at succus deerat, & æquabiliter in omnes scriptionis partes diffusus vividæ latinitatis color. Hic ego, quis est, inquam, iste tandem latinitatis color? aut in quo reprehendendi homines de latina lingua optime quidem meriti? Tum ille, Color hic, inquit, facilius intelligi, quam explicari potest. Intelligitur enim, quum optimi latinitatis auctores cum reliquis legendo comparantur, qui sunt eorum dissimiles. Nam in illis apta quædam forma orationis, & nitida, verba lecta, & propria, sententiæ non abjectæ, ex quo totum illud æquabile existit, quod legentium animos sine satietate delectat. Contra in his, quum se ipsi consulto ad minutam quandam verborum diligentiam limaverint, est nescio quæ macies, atque imbecillitas, quæ universam quasi deformat speciem orationis.

Et

Et quoniam hujus generis facta mentio est, Georgium Trapezuntium non relinquam. Eumne, inquit *Furiettius*, de quo tam præclare in epistola quadam Franciscus Barbarus scribit? Istum ipsum, inquit ille, sed in quo a Barbaro laudatur, reprehenditur a Petavio Georgius, &, mea quidem sententia, verius. Nam & græcos, quos latinos reddidit, mire depravavit, & fuit, ut vita, sic oratione etiam turbulentus. Præfractus enim homo, arrogans, & grammaticis contentionibus assidue jactatus, aut petebatur ab aliis, aut petebat ipse alios, neque Latinos solum, sed Græcos etiam suos, veluti Gazam, & Bessarionem doctissimos viros. Erga hunc tamen hominem tam morosum, tamque difficilem comis fuit, atque humanus Pontifex Nicolaus, & ei quondam quum pecuniam daret sane grandem, isque verecunde, & dubitanter acciperet, *Aufer*, inquit Pontifex, *aufer; non enim semper Nicolaum habebis*. Ex quo, & multis aliis satis constat, singularem fuisse in literatos quoscunque Nicolai Pontificis benevolentiam, & liberalitatem. Quippe istuc, inquit *Fortius*, ab Eugenio fortasse didicerit, qui fuit ante eum Pontifex, ejus hominum generis studiosissimus, & quem habuisse semper in ore ferunt illud Platonis: Metuendam magis iis, qui rerum potiuntur, poetæ, vel oratoris iracundiam, quam armati exercitus vim. Tum *Lucchesinius*, Recte, inquit, Eugenius, vel Plato. Nam vis interdum vi repelli potest; stylo autem scriptoris inustæ Principibus

bus notæ deleri nunquam possunt. Veruntamen non solum Eugenius, & Nicolaus, sed Pontifices ferme omnes prudentissimi hoc habuerunt omnino, ut doctorum hominum studia, quicunque ii tandem essent, ad suas, & Pontificatus rationes allicerent, atque excitarent; & quod, ut sæpe jam diximus, latine scribendi elegantia qui præstarent, maxime apti viderentur ad hoc munus, de quo quærimus, iccirco Pontifices lubentius illos in numerum aggregarunt eorum, qui Pontificias epistolas conscriberent.

Quum autem hinc fieret, ut oppido plures essent interdum, quam aut Collegii utilitas, aut rei natura pateretur, Callixtus primum Tertius certum scriptorum constituit numerum, ut essent sex. A quo autem Pontifice Collegii initia repeterem, reperire neque sane potui, neque (vere ut dicam) magnopere curavi. Non enim vehementer ad rem nostram pertinere sum arbitratus, commemorare, quando hic ordo cœperit, quam ampli decreti fuerint eidem ordini a Pontificibus honores, quam multa attributa commoda; quum Pontificum Diplomata aperte istuc ostendant, & iis pervestigandum lubentissime relinquam laboriosis hominibus, qui hæc perquam acute odorantur. Hoc ex me satis est intelligi, Collegium hujusmodi fuisse jam, & vero etiam seminarium quoddam Reipublicæ fuisse, unde (quod ex ipsorum Scriptorum enumeratione licet cognoscere) semper extiterunt magni, atque illustres viri, qui Legati, qui auctores

pu-

publici consilii, qui regendæ Ecclesiæ duces, & domi, & foris, & agendo essent, & scribendo. Ita & a Scriptoribus nostris, quum docti essent, præsidia petebantur Reipublicæ, & Scriptores qui erant Pontificiarum epistolarum, eosdem doctos esse oportebat.

Tertio igitur Callixto Pontifice ex hoc numero JACOBUS erat AMMANATUS Lucensis, doctissimus vir, & magnum Patriæ decus meæ; siquidem Lucæ * natus, Florentiæ institutus est, eique fuit (ut ait ipse de se in epigrammate, quod sepulchro incidi suo jussit)

mens bona pro genere.

Mens autem *bona* non est (in quo Natalis Alexander vim carminis ignorans labitur) familiæ nomen, sed hominis laus. Romam igitur sine ulla commendatione majorum homo per se cognitus quum venisset, facile a Dominico primum Cardinali Capranica, cujus etiam epistolas scripsisse dicitur, deinde ab Ænea Sylvio Piccolomineo in amicitiam & familiaritatem receptus est. Atque hujus Ammanatus fuisse videtur studiorum imitator, certe fuit fortunæ particeps. Nam Piccolomineus, Pontificatum ubi adeptus est, statim illum, qui Callixti fuerat, suum esse voluit scriptorem epistolarum. Neque ita multo post Papiensi Epi-

* Verè natus est in Villa, quæ Basilica dicitur, Lucensis Ditionis.

Episcopatu auctum in Senatum legit, in familiam, nomenque suum ascivit, maximis beneficiis ornavit; idque non sine caussa: Doctrina enim, & scribendi laude, huic qui præstiterit ætate illa, non facile dixerim. Scripsit epistolas sane plurimas, Commentarios temporum suorum, nonnulla etiam carmina, quamquam in his plus est argutiarum, quam elegantiæ. At mihi maxime placet, vel dicam minime displicet ejus in epistolis oratio plena senatoriæ libertatis, quæ latina est toto fere genere verborum, sed fractis, & sententiosis adstricta periodis, nervis abundat, mollitudine caret.

Ejus & æqualis, & collega, & amicus Gaspar fuit, quem Marchio Maffejus, nimis fortasse Veronensibus suis indulgens, magnum quendam virum facit; Ludovicus contra Muratorius ignotum hominem appellat. Et ejus quidem scripta neque tam multa sunt, ut propter numerum, neque adeo accurata, ut propter elegantiam celebrari possint. Licet id facillime ex eo libro judicare, quem de vita Pauli Secundi scripsit ipse verbis non admodum elegans, sententiis vero ita abjectus, ut hunc hominem a Jacobo Ammanato nostro tantopere laudatum, atque adjutum magis mirer, quam desertum querar ab Roderico illo Borgia discipulo suo, qui Pontifex fuit, & sextus est Alexander dictus.

Cum hoc Gaspare Jacobi duo fuerunt ætate conjuncti, Passarellius Ariminensis, & Venierius Card. Recinatensis, quorum nulla

la extant scripta, multa memorantur facta. Nam alter in Britanniam, alter in Hispaniam Legatus a Pontifice missus est, & amplis uterque honoribus usus. Venierius autem Cardinalis etiam fuit, quamquam natura vehementior, & oratione liberior haberetur. Magnos ergo viros res eorum gestæ, eruditos vero fuisse doctorum hominum testimonia declarant.

At Pii Secundi, Pauli item Secundi, & Sixti Quarti Pontificum epistolas qui conscripsisse dicuntur, acervatim hîc libet afferre: Neque enim ætate admodum disjunguntur, etsi in plures Pontificatus inciderint. Proferamus igitur JOANNEM GOBELLINIUM, cujus tanta est cum Pio Secundo in scribendo similitudo, ut quos ipse de Pii Secundi rebus gestis Commentarios edidit, ab eodem Pio profecti esse existimentur: GORUM SENENSEM, quem bonum virum, innocentem, & sine cujusquam querela divitem fuisse, sed scripsisse parum accepimus: LEONORUM BONONIENSEM, qui græcas literas a Theodoro Thessalonicensi didicit, & latinarum fuit sane peritus: BAPTISTAM REATINUM, quem ornate scripsisse Gaspar ait Veronensis, scriptor ipse non satis (ut paulo ante diximus) ornatus: JO. ANT. BUSSIUM, Episcopum Aleriensem, cujus merito est in emendando Strabone laudata diligentia: BENEDICTUM MAFFEJUM Veronensem summo genere natum, quem tamen, nisi ex sepulchro cognovissemus, in numero nostrorum scriptorum nesciremus fuisse: Veronensem item alterum DOMITIUM CALDERINUM, ingeniosum hominem,

nem, atque eruditum, ſed nimis concitum ad rixam, atque oſtentatorem (ut eſt fere ſemper natio Grammaticorum) : Denique ANDREAM TRAPEZUNTIUM, FRANCISCUM NOZERANUM, MARCELLUM RUSTICUM, GASPAREM BLONDUM, quos tametſi nulla ingenii monumenta reliquiſſe comperimus, tamen latine ſcribendo valuiſſe, JACOBUS VOLATERRANUS narrat, qui ſcire potuit; cum illis enim erat iiſdem ſtudiis, exercitationibuſque conjunctus. Nam Jacobi Volaterrani, qui & ipſe noſtro e numero fuit, facultas in ſcribendo notior. Commentarios enim reliquit rerum Urbanarum, qui latinarum literarum fuiſſe illum ſignificant & ſtudioſum, & non imperitum. Potuit etiam politioris aliquid doctrinæ hauſiſſe a Cardinali Ammanato, cujus familiaris fuit.

Qui vero latine magis, ac diligenter ſcripſerint, iidemque iiſdem temporibus ſcriptores fuerint Pontificiarum epiſtolarum, fuerunt LEONARDUS DATUS Florentinus, poeta non inſuavis, & quum natura, tum etiam ipſo orationis genere lenis: Et MATHIAS PALMERIUS Piſanus, qui ſui temporis hiſtoriam ſcripſit, non rerum exornator amplus, & magnificus, ut hiſtoricum decet, ſed tamen narrator nitidus, atque elegans. Neque ſilentio hìc prætereundi CAROLUS VERARDUS Cæſenas, LEONARDUS GRIFUS, WILLHELMUS CAORSINUS, BARTHOLOMÆUS SCALA, HIERONYMUS BALBANUS Civis meus, quos homines illis temporibus doctrinæ fama præſtantes a Sixto IV. & ab Innocentio Octavo in ſcriptorum numerum aſcriptos legi.

Jam

Jam autem commotis hominum ingeniis, latiusque diffusis studiis artium pulcherrimarum, erat paullo auctior quædam, & diligentior consuetudo latine scribendi. Sed scriptorum nostrorum hoc ipso in genere industriam, beneficio Pontificum excitatam, repentina calamitas Reipublicæ pœne pressit. Nam quum Innocentius Octavus Collegium scriptorum horum propter angustias ærarii, bello exhausti, venale habere instituisset, ampliavit illud quidem, ut essent vigintiquatuor, multisque & commodis & ornamentis locupletavit; at visus est doctrinæ quodammodo aditum illum obstruere, quem pecuniæ aperuerat. Verum, ne tam facile in præstantissimum Collegium neglectus irreperet literarum, primum obstitit scriptoris ejus, qui domesticus dicebatur, reservata Pontifici creatio (hoc enim lege erat ipsius Innocentii sancitum), deinde reliquorum delectus, qui Collegio ita erat concessus, ut maxima cura fieret: tum demum communis illa, de qua supra diximus, injecta hominibus ad optimas artes commotio. Nam Pontificis valde intererat, scriptorem habere doctum, atque idoneum, qui suo, non alieno lectus arbitrio, consilia graviora, atque abdita explicaret: & Collegii dignitas postulabat, ut eadem, quæ fuerat, maneret in eo fama doctrinæ. Tantus porro autem erat eo tempore ardor studiosorum, ut licet alio distracta cura Pontificum, tamquam ventus homines defecisse videretur, non flaccescerent tamen studia liberalium disciplinarum. Itaque præclari ex

hoc numero ſcriptores, & Pontifice hoc Innocentio Octavo, & Alexandro Sexto (mitto enim Pium Tertium, qui paucis diebus in Pontificatu fuit); & ipſo illo Julio Secundo, qui propter bellicas occupationes durior ad hæc ſtudia videbatur, non defuerunt. Neque enim arbitror non aliqua floruiſſe ſcribendi laude, aut AUGUSTINUM STACCIOLIUM Urbinatem, quem a Guidone Feretrio (cujus domus cunctæ Italiæ quaſi hoſpitium quoddam patuit liberalium artium) Legatum ad ſe miſſum quum Innocentius Octavus ſummi hominem ingenii, ſummæque ſolertiæ perſpexiſſet, ſcriptorem epiſtolarum ſuarum eſſe voluit; aut BARTHOLOMÆUM FLORIDUM Archiep. illum Conſentinum, quæcunque ejus in exitu vel fortuna, vel culpa fuit, qui ab Alexandro Sexto ſuas ad epiſtolas conſcribendas primo adhibitus, deinde ab eodem afflictus eſt miſerandum in modum; aut HENRICUM BRUNUM, aut LUDOVICUM PODOCATHERUM, aut VENTURAM BENASSAI, aut SIGISMUNDUM FULGINATEM poetam, atque hiſtoricum non ignobilem, quem Bembus laudat, & Julio Secundo ab epiſtolis fuiſſe ait: cui Pontifici fuit etiam ab Epiſtolis GABRIEL DE GABRIELIS eodem Bembo laudatore & teſte. Et habuit idem Pontifex in numero Scriptorum ſuorum Jo. FRANCISCUM DE COMITIBUS Sigiſmundi filium paterna magis laude quam ſua commendatum; habuit denique ANTONIUM URSUM Venetum, Epiſcopum Agienſem, quem ſcriptorem Pontificium eodem ferme tempore, & non indoctum fuiſſe

ſta-

ſtatim apparet, ſimul ut Marcelli ædem ingreſſus, monumentum ejus a læva aſpexeris, in quo inſculptus eſt acervus librorum cum luculenta inſcriptione. Nam quid ego dicam de Adriano Cornetano Card. qui Alexandri Sexti epiſtolas ſcripſiſſe dicitur? Ut pene memoria exciderat vir commemoratione dignus imprimìs! Nam is & ipſe ſcripſit elegantiſſime, & docuit alios. Libellus indicat, in quem excerptas, quas potuit, ab optimis auctoribus latine ſcribendi formas elegantiores congeſſit; & carmen indicat, quod urbano, & propemodum Horatiano genere de itinere Julii Secundi conſcripſit. Huic homini eruditio honori, pecunia invidiæ, ambitio calamitati fuit. *

Sed ecce Leonis Decimi Pontificatus, quem maxime bonis artibus utilem omnibus, vereque ſalutarem poſſumus dicere. Ipſe enim Pontifex bene a puero inſtitutus & patris Laurentii diligentia, & Angeli Politiani eruditiſſimi hominis diſciplina, acceptum a Majoribus ſuis, & Pontificio jam more traditum patrocinium literarum mirifice auxit per ſeſe inſigni, & divina quadam liberalitate. Itaque uberrimus tum fuit latinorum poetarum, hiſtoricorum, oratorum fœtus. Incredibilis factus ubique eſt ingeniorum motus, quum ſcholæ omnes, Academiæ, Urbes, Provinciæ, nationes latinæ facultatis cupiditate flagrare viderentur,

* Alexandro VI. & Pio III. fuit etiam ab Epiſtolis Paulus Corteſius Geminianenſis, vir multâ doctrinâ clarus.

quum illam certatim doctissimus quisque, aliusque alio studiosius excoleret: quum alii eruerent, emendarent, interpretarentur veterum pulcherrima monumenta: alii sua proferrent; omnes denique cum barbarie continenter bellum gererent: Qua depulsa tandem, & profligata, cum antiqua Romanorum gloria latine eo tempore scribendi elegantia, & copia æquata videbatur. Tum vero fuit PETRUS BEMBUS Card. in scriptorum nostrorum numero, cujus Bembi nomen vobis, o eruditi homines, erit in hoc ipso scriptionis genere instar maximæ laudis. Et nimirum is princeps ex nostris ornamenta illa, & lumina Ciceronis in Pontificias epistolas transtulit: vellem parcius, neque ita Ciceronem imitaretur, ut ea etiam (id quod antea diximus) adsciceret, quæ a Christiani hominis pietate abhorrere videbantur, neque erant ad nostra tempora, nostrosque mores accommodata. In quo sicut a nonnullis reprehenditur, ita laudari in eo debet ab omnibus, quod magnificentius, quam antea, & ornatius scribendi genus sequutus, non verba solum, sed etiam vim, atque indolem Ciceronis, & primus, & fere unus omnium maxime expresserit. Quamquam non defuerunt, neque vero desunt, qui hoc ipsum improbent, & Ciceronem vituperent tamquam verbosum, atque elumbem. Vituperare quisquam eloquentiæ parentem audet, & tam loquaciter impudens esse, ut eum accuset, quem propter præstantiam nominis vereri deberet, etiamsi minus propter ingenii, judiciique sui pra-

pravitatem imitari posset? Sed hos missos faciamus stultos vituperatores, & si quando se ad scribendum contulerint, ineptos sane scriptores; qui, si homines essent, Ciceronem potius legerent, quam literam scriberent ullam. Ad Bembum revertamur, in quo ingenium maximum, doctrina politissima, studium fuit acerrimum. Declarat multitudo librorum, varietas, elegantia. Epistolas vero Pontificias ita breviter, & presse, & admodum ornate, & pereleganter scripsit, ut nihil perfectius quærendum foret, si, ut ad dignitatem Principis, ita ad sanctitatem Pontificis apte essent, scienterque conscriptæ. Etiam in JACOBO SADOLETO Cardin., qui Bembi Collega fuit, & amicus, plurimæ erant literæ, vis summa ingenii, scribendi autem ratio, si non ita limata, & nitida, ampla tamen satis, & copiosa, & in epistolis Pontificiis colore illo quodam Ecclesiastico, quo Bembus omnino caruit, leviter tincta. Ita Bembo Ecclesiastici sermonis sanctitas, Sadoleto perfectio illa, & latinæ dictionis veluti flos; quumque summus uterque fuerit scriptor Pontificiarum epistolarum, duæ res maximæ altera alteri defuit. Hic *Furiettius*, Etiamne his duobus, quos ego plane perfectos rebar esse, tantum, inquit, defuit? Quamquam Sadoleto quod defuit, non quivis unus e turba illa, ut ita dicam, semilatina, sed doctus tantummodo, quemadmodum ipse es, atque intelligens olfecerit latinitatis existimator. Et vellem equidem de unoquoque ita potuisses judicare, ut prudens illa tua, atque acris ani-

madversio in epistolis versaretur, quæ Pontificum nomine scriptæ sunt. Quod in Bembo, & Sadoleto fecisti. Nam, quum superiores commemorasti, videbare mihi potius generatim de eorum scribendi ratione, quam proprie de illa cognoscere, qua usi sunt in conscribendis epistolis Pontificum Romanorum.

Tum ille, Recte id quidem, & vellem, ut dicis, quantuscunque sum ad judicandum, potuisse. Sed qui possumus, inquit, in reliquis fere omnibus? Quos quidem Pontificiarum epistolarum scriptores, eosdemque eruditionis fama præstantes fuisse constat, at quas ii nominatim epistolas conscripserint, non satis ex descriptione tabularum constat. Neque porro necessarium est, quum ad epistolas Pontificum conscribendas eandem fere scribendi rationem ipsi attulerint, quæ in ceteris eorum scriptis statim occurrit. Qua cognita, quales illi, & quam clari Pontificiarum epistolarum scriptores fuerint, cognosci etiam potest. Neque tamen, quum inciderit, ut id recte fieri possit, non interdum proprie ad ipsas Pontificias epistolas, quas scripserunt, referam judicium, & orationem meam.

Sed reliquorum scriptorum enumerationem persequamur. Eodem igitur Leone Pontifice fuerunt Trypho Bencius, Philippus Beroaldus junior, & Angelus Colotius, quem latinis, quem græcis instructum literis ex disciplina legimus extitisse Joviani Pontani Umbri, ejus, qui Neapolim ad Aragonios Reges studium attulit politioris doctrinæ, & quo aucto-

ﬅore, & principe ora illa omnis beatiſſima elegantiſſimis & artibus, & hominibus * frequentari cœpta eſt. Fuerunt etiam Etruſci duo FRANCISCUS BRACCIOLINUS POGGII F., & ÆMILIUS FERRETIUS, quos ut Juriſperitos (fuerunt enim & huic ſtudio dediti) haud ſcio, quam tu, Forti, probes: latini quidem ſcriptores mediocres fuerunt. Eundem, inquit *Fortius*, apud nos locum obtinent, ut neque primis Juriſconſultis, neque poſtremis adnumerentur; elegantia tamen ſcribendi, quod tu melius intelliges, & juris certe ſcientia Bracciolino præſtitit Ferretius. Quamquam ejuſmodi ſcriptores, & multo his etiam præſtantiores, atque elegantiores, quod magis pigeat, vix jam comparent in hac turba novorum voluminum. Ut video, inquit *Lucchesinius*, nos inopia, vos copia laboratis. **

Jam BENEDICTI ACCOLTI Card., qui una cum Friderico Hetio, cujus meminit Jovius, Adriani VI. epiſtolas conſcripſit, quam fuit illuſtre nomen, quum Cicero vocitatus fuerit! Nimis id quidem; neque enim ſunt ejus

 ſcri-

* Pontanus Neapolim ſe contulit anno MCDXLVII. ipſe annos natus XXI. qua ætate difficile factu videtur, fuiſſe ab eo ſtudium politioris doctrinæ eò advectum; quod fortaſſe non unius Pontani ingenio, ſed & celebri Antonio Panormitæ, quem ipſe Neapoli invenit audivitque, & pluribus illis doctiſſimis viris, qui Nicolao V. Pontifice vitâ functo Româ relictâ Neapolim confugerunt, tribuendum eſt.

** Fuit etiam Leoni X. ab Epiſtolis Jo. Matt. Gibertus, clarus eruditione vir.

ſcripta ad perfectam omnino divini oratoris imitationem elaborata. Paullo tamen uberius laudatum puto, quod ſplendidus fuerit, atque apud doctos homines gratioſus. Neque inelegans ſane orator, & poeta etiam elegantiſſimus viſus eſt; ut minime mirer, cum maxima cum gratia, & gloria ad Cardinalatus amplitudinem perveniſſe. Illud miror potius, cur in mentem Hieronymo Nigro venerit, Accoltum hunc, Collega Sadoleto quum eſſet in eo ſcribendi munere a Clemente Septimo datus, ipſius Sadoleti Bibulum ſubabſurde, falſeque nominare: quaſi quemadmodum Cæſar nihil agere Bibulum, ſuum in conſulatu Collegam, ſic nihil Accoltum ſcribere Sadoletus ſiverit. Tantum enim abeſt, ut Sadoletus vir optimus invidere cuiquam potuerit, ut ingenue fateri non dubitaverit, epiſtolas nonnullas, quæ ſuæ ferebantur, fuiſſe Francisci Binii: quem hominem ingenioſum, atque induſtrium in Pontificiis epiſtolis conſcribendis, ut ego, Bonamice, Te, aſciverat adjutorem ſibi. Atque ipſum Binium video, Sadoleti commendatione, in hunc ſcriptorum numerum perveniſſe aliquot annis poſt, Julio Tertio Pontifice.

Clemente autem Septimo Pontifice, Petrum Carneseccam Florentinum, hominem Hæreſis crimine turpem, & infami etiam ſupplicio affectum refugit animus inter Pontificios Scriptores annumerare; ſed habemus alios claros viros Aurelium Vergerium Juſtinopolitanum, Jo. Bapt. Sangam Romanum utrum-

trumque eodem acerbæ mortis genere interemtos, & PAULUM VALRABARINUM, cui ad Pontificis gratiam, & famam eruditionis florescenti in direptione illa, & cæde indignissima, quum Germani, Hispanique in Urbem milites, Borbonio Duce, irruperunt, erepta ferro vita est. Habemus etiam FABIUM VIGILEM Spoletinum, & BLOSIUM PALLADIUM Sabinum, elegantes auctores ita duntaxat, quum carmina scriberent, quæ pauca legimus, verum suavissima, atque optima. Nam soluta eorum oratio carminum gloriæ, atque elegantiæ non respondet. Hoc autem nescio quo pacto contingere soleat, ut omnes fere, qui poeticæ studeant, & id arte faciant, iidem a versibus ad solutam traducti orationem, humiliores reperiantur. Neque hoc in Vigili, & Palladio solum, qui scripta, ex quibus judicium fieri debet, pauca sane reliquerunt, sed multo etiam magis in Pontano, in Sannazario, in Fracastorio, in Flaminio, aliisque pluribus ejusdem ætatis poetis nobilissimis intelligi potest: nisi forte id aut naturæ sit, quæ nolit eundem pluribus rebus excellere, aut, quod magis verisimile est, consuetudinis; propterea quod poetæ carminum quasi effœminati dulcedine, laborem ferre non possunt, qui est in soluta oratione paullo profecto major, quam forte quisquam putat. Nam poeta numeri necessitate adstrictus, non ita facile in scribendo titubat: orator contra, quum sine vinculis sibi ipse quodammodo moderari debeat, plus habet periculi, & laboris, ne corruat; eos

sem-

ſemper excipio, qui pauciſſimi fuerunt, & propter ingenii magnitudinem in utraque excellere facultate potuerunt. Quam laudem, ne a noſtris recedamus, maximam in Bembo, ne in Sadoleto quidem mediocrem video fuiſſe. Aliqua etiam in Bernardino Maffæo fuit, cujus carmina ſunt aliquot, & epiſtolæ pari elegantia conſcriptæ. Erat præterea gnarus Reipublicæ, antiquitatis peritus, omnibus denique ſtudiis optimis deditus. Atque hic, quum in Pauli Tertii Pontificis epiſtolis conſcribendis aliquot annos verſatus eſſet, Cardinalis factus eſt, neque propterea, ſtudiorum præmium aſſequutus, quicquam de ſtudiorum aſſiduitate remiſit. Nam Maffæi æqualem Marcellum Cervinum Politianum Pont. vitæ gravitas, morumque ſeveritas maxime illuſtravit, etſi ab eruditionis laude non deſerebatur; quod doctorum hominum amicitiæ declarant, quibus ille floruit. Utinam diutius in Pontificatu vixiſſet, neque tam breve ei tempus hujus ſuæ erga literas voluntatis augendæ, & declarandæ fuiſſet! Romulus autem Amasæus græcarum, latinarumque literarum ſcientiſſimus fuit: quippe eas Romæ, Bononiæ, Pataviique publice docuit. Eloquentiæ igitur famam ſcripta & dicta præclare, prudentiæ, facta etiam confecerant. Neque Julium Tertium Pontificem pœnituit abducere a ſchola doctum hominem, atque in præſidiis Reipublicæ collocare, quem Legatum miſit ad Reges, quem ſcriptorem habuit epiſtolarum ſuarum. Copioſe, & facile ſcribit, atque inter-

terdum etiam solute, ut minus nonnunquam pressus, neque satis fortis videri queat. Nam de Paulo Sadoleto, qui eodem Pontifice scriptor fuit, quoniam Jacobus Patruus Cardinalis qualis fuerit, audistis, nolite expectare, quid judicem. In sinu enim Patrui educatus, ejus quodammodo & morum, & studiorum imago fuit.

Eodem etiam, apud eundem Pontificem munere functi sunt Angelus Massarellius Septempedanus, & Julius Cananius Ferrariensis Card. iisdem fere laudibus ornati: Et Concilio uterque Tridentino interfuit, doctusque vir, & sanctus existimatus est. Majorem tamen apud Pontificem privato obsequio gratiam consequutus Cananius est: scribendi laude illustrior fuit Massarellius, quem Paulus Quartus *, cujus etiam Pontificias scripsit epistolas, Telesinæ in Brutiis Ecclesiæ præfecit. At illum alterum Atestinorum Principum benevolentia commendatum Gregorius Decimustertius ad Cardinalatum extulit. Debet etiam non indoctus latinis literis videri Petrus Paulus Gualterius Aretinus, quem in conscribendis epistolis Marcello Secundo, intelligenti Pontifici, probatum constat fuisse.

Pio-

* Eidem Paulo IV. fuit etiam ab Epistolis Lud. Lippomanus eruditione pietati conjunctâ satis clarus. Paulo autem III. & Julio III. PP. fuit in horum Scriptorum numero Jo. Casa, quo nemo in literis clarior.

Piorum autem Quarti, & Quinti Pontificum temporibus in nostro numero scriptores habendi sunt valde boni CÆSAR GLORIERIUS, & ANTONIUS FLOREBELLUS; & fuisse quidem scripta indicant eorum, quæ in manus hominum pervenerunt. Quamquam Glorierius, qui direptionem Urbis Borooniam illam fœdissimam latinis literis mandavit, rhetorico potius more, quam historico scribere videtur. Et Florebellus, cujus liber est de vita Cardinalis Sadoleti accurate sane scriptus, Cornelium ille quidem Nepotem sequitur, & assequutus videretur, si nitidissimi auctoris lenitatem quandam orationis exprimere omnino potuisset, quam mirari licet omnibus, imitari ne paucis quidem. Tum etiam JULIUS fuit RIGERIUS, cujus de Theologia scripta habent aliquid elegantiæ. Nam Theologiæ addiscendæ rationem optimam, cujus se quasi inventorem facit, a Melchiore Cano accepisse videtur, quamvis dissimulet. Habenda tamen homini gratia, quod, in qua ipse non maxime excellit, scribendi elegantiam Theologo non esse repudiandam, edito libro, docuerit.

Sed de JULIO POGGIANO, & ANTONIO GRATIANO dicamus aliquid, quos idem muneris gradus, eademque & studiorum similitudo, & temporis æqualitas conjunxit; quamquam ætate paullo fuit inferior Gratianus, quo Sixtus Quintus epistolarum scriptore usus est: Poggianus autem a Pio Quinto scriptor vix designatus interiit. Ergo illi verborum habent sine molestia delectum, & sententiarum

sine

sine satietate copiam; totam denique orationis formam gravem, ornatam, illustrem: Et siquid utrique fortasse deest, quod Poggianus parum interdum diligens, nimis Gratianus effervescens videatur, inde arbitror factum esse, quod ille alieno ingenio, hic suo indulserit plus etiam satis. Nam Poggianus fortunæ pressus injuria neque Patronum, qualem Gratianus Cardinalem Commendonum habuit, liberalem nactus atque intelligentem, coactus est studia sua aliorum arbitrio, & tempori accommodare. Neque est quicquam scribenti magis adversarium, quam ingenii, ut ita dicam, servitus. Sed illorum pulcherrima eloquentiæ monumenta a nostris hominibus, insolenti quodam rerum domesticarum fastidio, neglecta in lucem revocat Hieronymus Lagomarsinius latini sermonis & amantissimus, & peritissimus, ejusque homo Societatis, quæ latinarum literarum fugientem jam gloriam omni scriptorum genere retinere quodammodò conatur.

Poggiano Thomas succeslit Aldobrandinus, Clementis Octavi Pontificis Maximi Frater; neque ipse diu in hoc scribendi genere florere potuit. Ejus enim ingenium simul aspectum, & desideratum est. Nam quum græcis, latinisque literis institutus Laertium vertisset e græco, magnamque propterea non solum laudem, sed etiam admirationem consequutus esset, admodum adolescens mortuus est. Nam Antonio Buccapadulio longior vita contigit, qui non uni Pontifici operam suam in conscribendis epistolis præbuit, fuitque vir inte-

te-

teger, ſed non tam ingenioſus ſcriptor, quam diligens, atque induſtrius imitator. Quæ enim Pontificum nomine ſcriptæ ſunt ab illo epiſtolæ formam aliquam perfectæ imitationis, & quædam optimorum auctorum tamquam lineamenta ſervant. Hunc tamen (quæ plerumque eſt proborum hominum fortuna) Sixtus Quintus ſcriptoris loco depulit, & hujus, quod magis miremur, diſſimilem in ſcribendo, reliquaque omni vita THOMAM GUALTERUTIUM ſubrogavit, perfidioſum hominem, atque indoctum, in eo tamen callidum, quod ſcribendi genus affectarit tenebricoſum quoddam, a doctis nunquam probatum, vendibile autem apud imperitos, qui, quæ non intelligunt, admirari maxime conſueverunt. Itaque & honoribus, & divitiis, quas unice amabat, * proceſſiſſet fortaſſe longius, niſi in facinore manifeſto deprehenſus pœnas legibus dediſſet.

In ejus igitur dejecti locum ſubſtitutus a Sixto eſt JOANNES BAPTISTA CANOBIUS, & hoc etiam amoto, qui Franciſci Patrui magis nomine, ejus, qui Poggiani amiciſſimus fuerat, quam ingenio nitebatur ſuo, Buccapadulium reſtituit Gregorius Decimusquartus, qui Septimum Urbanum paucorum dierum

---

* Rem ita quidem narrat Erythræus, ſcriptor non ita accuratus, ut fides illi omnis adhibenda eſſe videatur; & quidem, ut ne adhibeatur, illud facit, quod poſt mortem Sixti Gualterutium in integrum reſtitutum fuiſſe conſtat.

rum Pontificem consequutus est. Sed neque Gregorius, neque, qui Gregorio successit, Nonus Innocentius multo diutius in Pontificatu fuerunt, acciditque eo tempore, quod nunquam fortasse antea acciderat, ut uno vix anno Pontifices quatuor interirent. Itaque iisdem Pontificibus iidem ferme fuerunt epistolarum scriptores, in quibus aliquod MARCELLI etiam VESTRII nomen fuit, poetæ non insuavis, ut Mureti, sed jam deflorescentis, discipulum possis agnoscere. Atque hic orationem habuit in Pontificiis Comitiis, cujus mediocritatem eloquentiæ actione occultavit, in qua excellens fuisse dicitur.

Venio nunc ad SILVIUM ANTONIANUM Card., qui Clementis Octavi epistolas conscripsit. Hic omnibus exemplo debet esse, quantum in hac Urbe polleat cum suavitate morum conjuncta vitæ probitas, doctrinæque præstantia. His enim rebus, infimo loco natus, tantam & gratiam, & famam nominis consequutus est, ut Bembis, & Sadoletis par dignitate fieret, neque scribendi laude inferior videretur. Summam enim hominum expectationem concitavit admodum adolescens, ac pœne puer, quum in clarissimorum virorum conventu latinorum versuum magnum numerum fudit ex tempore; eamque pulcherrime sustinuit, quum & Romæ optimas artes publice docuit, & ea accurate, cogitateque scripsit, ut ad superiorum scriptorum laudem pervenerint. In Pontificiis vero epistolis ejus, quas legi, vel eo mihi maxime probatur, quod ne-

que

que ita orationis ascivit ornatum, ut Bembus consuevit, qui profana quædam admiscuit, neque rursum eum totum, sicut plerique ante Bembum scriptores Pontificiarum epistolarum fecerunt, repudiavit. Medium quoddam tenuit, neque porro e sacris hinc, atque illinc petitis verbis opus quoddam contexit inconsultum, & plane alienum, sed quum prudenti meditatione orationem extuderit suam, tum illam ornamentis modicis sacrorum verborum aptissime distinguit. Itaque non sine caussa accedere hunc diximus ad eam scribendi perfectionem, quam in Pontificiis epistolis quæsivimus, atque hunc maxime ad imitandum scriptori nostro proposuimus. Ceterum retinuit ille quidem latinitatis succum, qui Bembi tempore viguit, sed est paullo languidior, &, quo longius ætate processit, etiam remissior. Cœperant enim homines ab accurata illa scribendi elegantia jam deflectere, vel studio rerum novarum, vel maximi laboris tædio, vel denique humanarum rerum conversione quadam perpetua, quæ quum summum attigerunt, retro sensim labuntur. Itaque Silvius Antonianus nervoso, uti diximus, caret scribendi genere, minus ille tamen, quam posteriores, qui & nervis caruerunt, &, vitio ætatis in pejus ruentis, longius etiam a forma veritatis, atque a Ciceronis regula absfuerunt; Cujus quandiu mansit imitatio, tandiu perfectæ studium eloquentiæ vixit.

In hoc igitur quasi flexu eloquentiæ Pontificiarum epistolarum scriptores extiterunt

LAN-

LANFRANCUS MARGOTTIUS Card., Paulo V. Pontifici apprime carus, solers in agendo magis, quam in scribendo præstans, dilucidus tamen auctor, &, quum italice scriberet, etiam probatus: SCIPIO COBELLUTIUS Card., bene latine scribens, Sirmondi Jesuitæ amicus, a quo per literas non inelegantes flagitat, ut homo Ecclesiasticæ antiquitatis peritissimus scribat aliquid de formulis epistolarum Pontificiarum: DECIUS MEMMOLUS, qui de Templo Sanctorum quatuor Coronatorum scripsit, & poeta etiam Italicus fuit, ut ex Susanna Tragœdia ejus, non ita in vulgus nota, habemus cognitum: PORPHYRIUS FELICIANUS, quem Erythræus uberrimus laudator poetam clarissimum appellat: GASPAR PALLONIUS, cujus de Pauli Quinti morte oratio habet insignes jam latinæ tabescentis eloquentiæ notas: ROBERTUS UBALDINUS Leonis Undecimi sororis F., quem sapientem hominem, & rectum fuisse ferunt, & in cujus epistolis gravitas summa, & Pontificia quædam inest auctoritas, atque etiam elegantia, si Erythræo credimus.

Leonis autem Undecimi, qui septem, & viginti dies Pontifex vixit (ut ad paullo superiorem ætatem revehar) scriptor fuit epistolarum PETRUS STROZZIUS, quem, ne in languorem illum scribendi incideret, de quo supra diximus, ne Lazari quidem Bonamici Gentilis tui, cujus fuit auditor, disciplina prohibuit. Ego vero, inquam, Bertio nostro e Sodalitate Matris Dei, homini probo, atque

in illustrandis patriæ rebus perquam diligenti, habeo gratiam, quod eo libro, quem de Scriptoribus Lucensibus aggressus est scribere, Bonamicum hunc in agro Tarvisino natum, conjectura nescio qua ductus, in meam familiam intrruerit. Fuit enim maxime ex omnibus, qui sua ætate floruerunt, græcis, latinisque literis eruditus; & quamquam scribendi laborem non ferret, tantum tamen nominis assequutus est, ut Patavium, ubi publice docebat, concursus ad eum, audiendi caussa, ex tota Europa fierent. Quin etiam accepi Clementem Septimum per Legatum suum Hieronymum Aleandrum egisse cum Venetis, ad se ut Bonamicum venire sinerent, cujus in scribendo opera uteretur, idque præcise negatum esse ab Andrea Grittio Reipublicæ Principe, quum responderet, Venetam Rempublicam hominum excellentium, qualis Bonamicus esset, opera uti malle, quam illum aliis quibuscunque concedere. Me certe nominis similitudine adductum non negaverim paullo libentius latinis literis studuisse, si possem gentilis, ut tu ais, mei elegantiam, & copiam aliquantulum assequi. Posse arbitror, ille inquit. Sed Petrus Strozzius a Præceptore suo plurimum abfuit scribendi puritate, & vi; cognitione tamen linguarum, & Peripateticæ Philosophiæ studio valuit (nondum enim regnare Aristoteles desierat). Ejus est etiam industria laudata, quum Ecclesiam Chaldæorum ad Rom. Pontificis obsequium traduxit; epistolamque in eam rem scripsit gravem, atque ecclesiastice eruditam.

Neque

Neque tamen obtrectantium Romæ invidiam effugere potuit, coactus in Etruriam se se ad Cosmum Medicem conferre, a quo perhumaniter exceptus est.

Erat etiam a Philosophia, ab historia, a peritia rerum Ecclesiasticarum instructus JOANNES BAPTISTA AGUCCHIA Bononiensis, qui Gregorii Decimiquinti Pontificis epistolas scripsit; neque fuit ceterorum sui temporis in scribendo dissimilis.

Jam vero increbuerat consuetudo scribendi valde vitiosa, quæ totam immutaverat latinæ formam eloquentiæ. A Justo autem Lipsio maxime fluxerat, qui studio stoicæ disciplinæ Senecam mirifice adamarat, ejus sequutus non tam doctrinæ severitatem immodicam, quam affectatum quoddam, & infractum orationis genus. Lipsii vero subito plures imitatores extiterunt fama hominis, & rei novitate commoti, eoque ipso, quem imitabantur, multo, ut fit, vitiosiores. Inde incredibiles argutiæ, atque ineptissimæ, & immutatione literæ quæsitæ identidem pueriles venustates: inde turgens, atque inflata oratio, in qua multa erat luxuries verborum, nulla sententiarum gravitas.

Atque hujusmodi scribendi, sentiendique (ut ita loquar) insania, quæ Urbani VIII. Pontificis tempore in latinas literas incubuit, expertes omnino fere fuissent epistolæ Pontificum Romanorum, nisi earum pervertere majestatem furiosa quadam loquacitate ausus esset JOANNES CIAMPOLUS, scriptor vento-

tolimimus. Unde enim illud, quod in epiſtola quadam Pontificias execrationes *Tonitrua Vaticani* appellat? Potuit quicquam dici vitioſius, inſanius? Atqui omnia ejus hiſce ſunt verborum, ſententiarumque portentis cumulata. Neque ab hoc ſcribendi genere (eſt enim animi index oratio) diſcrepabant hominis mores immoderati, arrogantes. Itaque quum neque ingenium ei deeſſet, neque Urbani gratia Pontificis, qui poeticis ſtudiis delectabatur, non diu tamen jactare ſe potuit. Nam nimia dicacitate gravis omnibus, ipſique Pontifici factus inviſus, per cauſſam honoris in Picenos ablegatus eſt.

Franciscus deinde Herrera Ligur eodem Urbano Pontifice, & inferioris ætatis proximus Decius Azzolinus Card. Picenus ſaniores fuerunt, & antiquorum ſimiles, eoque magis ſunt mirabiles, quod in tanta, qua de loquuti ſumus, perverſitate ſtudiorum, longiſſime tamen ipſi a talibus deliciis, vel potius ineptiis abfuerunt. Alter placidus, ut erat moribus, fluit oratione, & elegantior eſt. Alter callidior in illo ſcribendi genere elaboravit, quod eſt prudens, acutum, atque aulæ accommodatius; itaque plus & honoris habuit, & gratiæ, atque in ſenatum lectus illuſtrem tenuit locum.

His duobus interjecti fuerunt Julius Rospiliosius Piſtorienſis, cujus poetica ſcripta, quia genus habebant artificii, & locutionis temporibus illis, atque hominibus gratum, laudata admodum ſunt, & uberius etiam,

quum

quum Pontifex fuit: Gaspar Simeonius Aquilanus, qui bene ea ætate scribere putabatur, multa certe scripsit, & homo erat non vulgaris doctrinæ, atque eruditionis: Franciscus Nerlius Card. juris civilis intelligens, sed scriptor tenuis, & latinæ elegantiæ non particeps, non expers. Atque hi, quamquam alius alio doctior, omnes tamen sui temporis quasi fuco illiti, iidemque ad Pontificias epistolas traducti, non copiosi, non varii sunt, ut eadem omnes, eodemque efferre modo videantur. Natalis autem Rondininii, qui Alexandri Septimi epistolas scripsit, & studia, & spes immatura nimium mors intercepit. Qui si diutius vixisset, detraxisset ille quidem de juvenili illa ingenii licentia, quæ in ejus versibus effervescit, sed haud scio, an aliquid etiam vitii ad pravam eorum temporum consuetudinem scribendi adjecisset. Nam Marius Spinula, qui Clementi Decimo, Innocentio Undecimo, Alexandro Octavo, & Innocentio etiam Duodecimo Pontificibus diuturnam in conscribendis epistolis operam præbuit, neque clari est nominis, neque ignoti, & satis ei videtur fuisse, non pessime scribere.

At Spinulæ hujus tempore maxime illud insigne accidit, quod Innocentius Undecimus Scriptorum horum Collegium antiquissimum sustulit. Neque jam reprehendo, quod præmium olim eruditionis, & doctrinæ ad quæstum hominum imperitorum translatum noluerit esse Pontifex sapientissimus; illud queror, sublata nundinatione, cum ea simul & Col-

legium, & quod in retinendo Collegio boni fuisset, sublatum esse. Nam si res eo meliore statu, quo cœperat, stetisset, pateret, ut vestris, Forti, Jurisconsultis, qui Collegium habetis amplissimum Consistorialium Advocatorum, studiosis item bonarum artium suum veluti curriculum, & præmium esset aliquod latinæ eloquentiæ. Quo jam erepto, & latinis propterea literis jacentibus, ipsa etiam nostræ imminuta videntur esse præsidia Reipublicæ.

Idem vero Innocentius reliquos esse duos voluit, quorum alter Pontificis Maximi nomine scriberet ad Reges, & Principes, eoque, quo nos, munere fungeretur, alter diplomata curaret, quibus, ut supra significavimus, consignantur beneficia Pontificum Romanorum. Horum autem diplomatum officio gravissimo præest nunc summa cum laude noster, Furietti, amicissimus Cardinalis Dominicus Passioneus, excellenti vir ingenio, & exquisita quum librorum, tum eruditionis copia abundans, qui legationibus obitis, rebusque gestis magno sæpe fuit, & est usui Reipublicæ.

Sed, ut reliquos, qui jam paucissimi restant, persequar, Ulysses Gozzadinius Bononiensis Card., quem, Romam quum nos venissemus, Pontificis Innocentii Duodecimi scribentem epistolas cognovimus, studiis deditus amœnioribus, & latinæ non ignarus eloquentiæ fuit; ita tamen, ut ineptam illam, & perversam scribendi rationem (resipiscere enim jam homines incipiebant) abiicere velle potius, quam posse, videretur. Multis tamen proba-

probabatur; at mihi, qui, Hadrianum, scriptorem latinum elegantem, & eloquentiæ magistrum non ignobilem Pisis audieram, omnino placere non poterat. Hadrianus enim mihi auctor fuit, ut, si speratam latine scribendi gloriam consequi vellem, Ciceronem maxime sequerer, neque ad ineptias abirem, quibus erat adhuc ætas infecta. Hujus igitur hortatione excitatus, præceptisque imbutus, non, Romæ quum essem, quod Pisis acceperam, quantumcumque erat, augere destiti lectione, & stylo. Græca cum latinis conjunxi, utque Demosthenis vim, & fulmina in dicendo penitus cognoscerem, ea caussa mihi aliquot ejus orationes latine reddendi fuit. Neque his contentus applicavi me ad amicitiam, & familiaritatem doctorum hominum, qui tum in Urbe florebant, & sanioris eloquentiæ disciplinam revocare se profitebantur. His autem domum suam, veluti musarum diversorium quoddam, patefecerat jam Christina Svecorum Regina, celebrata carminibus omnium poetarum. Erat interim Arcadum Cœtus institutus, & magna inde orta æmulatio studiorum optimorum, creatusque Pontifex Clemens XI. magnum pulcherrimis artibus lumen, magnum præsidium attulerat. Ipse enim doctus non poterat non fovere in aliis, quod sensu gustarat suo. Loquor, ut opinor: sed licet ex epistolis judicare, atque orationibus etiam, quas, renovato veterum Pontificum instituto, habebat ad Populum. Quantum in his ornatæ, atque Ecclesiasticæ dictionis! quan-

tum gravitatis, atque prudentiæ! Utebatur ille quidem (nam Gozzadinium Cardinalem fecerat) opera Christophori Battellii, sed scribebat ipse multum. Battellius autem Ecclesiasticarum rerum peritus, non erat ad latine scribendum imparatus. Cujus industria magis etiam tum & probata, & desiderata est, quum illum Innocentius Decimustertius, mortuo Clemente Undecimo, Pontifex factus a Pontificiis conscribendis epistolis amovit, eique rei Matthæum Scallionium præfecit, Scriptorem ignotum, & repentinum, neque, quod ad rem pertinet, suspicantem, quale esset ornate, & latine scribere. Igitur in hujus locum a Benedicto Decimotertio, qui Innocentio successerat, Carolus Majella Neapolitanus suffectus est.

Quid hunc censes? inquit *Furiettius*, quem a multis audio laudari tam magnifice? At ego addo etiam vere, inquit ille. Neque enim is sum, qui, quod ejus fuerim in glorioso labore successor, iccirco quicquam de præstantis viri laude tam recenti detractum velim. Et sane fuit eruditissimus græcis literis, & latinis, Ecclesiasticæque disciplinæ valde peritus; ingenio autem tanto, ut jam adolescens cum excellentibus scriptoribus latinis compararetur. Edidit enim nonnulla, inque his Commentarium prudentem, atque elegantem de seditione quadam Neapoli infœlici consilio a Gambacurtio homine nobilissimo concitata. Itaque quum celebratum nomen ejus esset, & propugnator præterea haberetur Ecclesiasticæ liber-

libertatis, pro qua ſcripſerat quædam accurate, intelligenter, & polite etiam, quantum rei natura patiebatur, Romamque Clementis Undecimi invitatu, arceſſituque veniſſet, magna erat apud omnes exiſtimatione doctrinæ; præſertim quam vita, mores, vultus denique ad gravitatem quandam compoſitus augeret. Non mirum igitur, ſi eum Benedictus Tertiuſdecimus ſtatim ab initio Pontificatus ad epiſtolas conſcribendas ſuas adhibere voluerit. Cui certe muneri ſatisfecit ille præclare. Rem enim prudenter videbat: omnia fere ad confirmandum argumenta hauriebat e ſacris literis; eaque non humili ſermone affligebat, neque indiligenter compoſito, ſed oratione ſuſtentabat, quæ rotunda erat, ſplendida, & perfacile currens; neque aberat gravitas, ſuccus, vis. Sunt, qui majorem in verbis latinitatis diligentiam requirant. Multa enim neglecta, ſive potius conſilio quodam adhibita, quod iis ſerviret, quibus nulla ſatis Eccleſiaſtica videtur oratio, niſi eadem barbara, & abjecta ſit. Quin etiam memini, quum diceret, ſibi quondam vitio datum eſſe ab uno quodam ex Aulæ primoribus, quod nimis latine ſcriberet, neque verbis uteretur interdum paullo negligentioribus; quaſi aut in recte ſcribendo quicquam nimium, aut ulla in re ulla poſſit eſſe negligentia laudabilis. Ceterum laudari nunquam ſatis ejus epiſtolæ poſſunt, illæ potiſſimum, quæ Benedicti Decimitertii nomine in ancipiti, ac lubrico negotio datæ ſunt ad Cardinalem Noallienſem, ut monerent hominem, atque hortarentren-

rentur, in Pontificiam legem ut juraret aliquando, neve diutius ea de re deliberaret, cujus turpis esset, atque indigna Episcopo, & Cardinali præsertim admodum sene deliberatio. Haberet rationem existimationis suæ, ne tam turpiter in extremo vitæ actu corrueret: Haberet salutis, quæ, Divina adventante animadversione, in propinquum esset adducta discrimen: Denique si non se, gregem respiceret suum, cui noceret exemplo magis, quam peccato. Ita fracta est senis octoginta annos nati pertinacia (tot enim annos Noallius habebat); eaque res eo gratior Benedicto Sanctissimo Pontifici accidit, quo difficilior, & vix speranda videbatur.

Hoc autem tempore omni, quo Majella floruit, totus ego eram in literis; historiamque mei temporis latine scribebam, cujus primam jam partem perfeceram, Tertioque decimo Benedicto inscriptam edideram; atque alteram, eo mortuo, quum absolvissem, Clementi Duodecimo Principi magnificentissimo obtuleram. Latino autem sermone libenter utebar, non solum illustriora ut essent apud omnes gentes, omnemque posteritatis memoriam, quæ literarum monumentis mandare institueram, sed ut exemplo meo, si tantum possem, excitarem etiam industriam nostrorum hominum, ut in eo scribendi genere elaborarent, quod ipsis magnificum, Ecclesiæque Romanæ gloriosum, atque utile videbam fore. Quum igitur opus acri urgerem animo, repente alio me avocat gravis Majellæ casus, &

data

data mihi nova scribendi provincia. Ille enim subito morbi genere affectus Neapolim, ubi deinceps mortem obiit, conferre se se, susceptumque deserere munus coactus est. Ego autem nihil tale cogitans, quum alii peterent, gratiaque, & precibus pugnarent, ad Pontificias conscribendas epistolas vocatus sum. Itaque nostra in hoc cura, & cogitatio ponenda fuit, & tantum historiæ relinquendum, quantum vacat ab officio. Etsi vero totum adhuc historiæ corpus perficere ea de causa non potuimus, tertiam tamen partem, subcisivis illis horis absolutam, emittere non neglegimus, ut publicum quasi testimonium extaret grati animi mei erga Cardinalem Nerium Corsinium. Ipse enim Patruo Pontifici gravissimus auctor fuerat ad me ornandum, dignus profecto, qui non solum mea, sed omnium etiam testificatione celebretur, quum homo sit in amplissima fortuna moderatus, & probus, quod perraro evenit, & sine ulla ostentatione liberalitatis sane liberalis.

Nunc autem ne, qui visus fortasse sum nimis diligenter in aliena inquirere, mea ipse dissimulem, aperire ea vobis, amicissimi homines, non dubitabo, quæ in me ipso, quum ad Pontificias conscribendas epistolas accessi, desiderari posse intellexi. Eram ego ob assiduam historiæ tractationem, in qua mihi Thucydidem ad imitandum proposueram, genere imbutus scribendi aspero, & compresso, & tandem ejusmodi, quo uti ad epistolas nullo modo debeas. Sacrarum etiam literarum studium,

a pri-

a prima mihi ætate cultum, aliis rebus occupatus aliquantum remiseram, minusque propterea facile occurrebant, quæ ducenda nobis ab illis sunt. Quid feci igitur? omnibus posthabitis, Ciceroni me totum tradidi, ejusque præsertim epistolas ad Lentulum, Appium, Metellum, ceterosque Romanæ Principes Civitatis lectitabam; eodemque tempore, Theologiæ studio acerrime renovato, in sacrorum librorum meditatione commorabar attentius. Ita & genus arripiebam orationis grave, perspicuum, sedatum, quod in Ciceronianis illis epistolis dominatur, nostræque est scriptioni maxime aptum, & onerabam, complebamque pectus rerum copia sanctissimarum, unde Pontificiæ ali epistolæ, atque illuminari debent. Nam quæ ad Reipublicæ scientiam pertinent, ea mihi græcis cognitis, latinisque historicis, satis videbar habere perspecta. Quibus in rebus quantum profecerim, illorum erit judicium, qui mea legent. Certe nunquam sum in pulcherrima exercitatione defatigatus, neque me ætas, quam videtis, neque ambitio, cui nunquam servivi, ab optimis studiis avellere potuit. Facta etiam videtur esse labori meo major accessio, Pontifex quum est nobis divinitus datus Benedictus Quartusdecimus. Recte enim intelligo ei me Pontifici operam navare, qui ita doctus est, ut plura ipse scripserit, quam alii legerint, ita sapiens, ut de aliorum scriptis vel subito possit, optimeque judicare. Cujus quidem etiamsi humanitatem prope divinam amare debeo, tamen non possum

non

non vereri exquisitum intelligenique judicium. Sed huic tam docto, tamque sapienti Pontifici si omnino satisfacere me posse sperarem, non diffiderem equidem illam assequi scribendi perfectionem: ad quam quum multi, quos nominavimus, doctissimi suæ quisque ætatis aspirarint, pauci accesserint, nemo adhuc pervenerit, desperanda mihi profecto est gloria tam excellens, & singularis. Unum hoc nobis satis erit, si, quod longo sermone investigavimus, cognosci, atque existimari possit, qualis esse debeat perfectus Pontificiarum scriptor epistolarum.

Quæ quum esset Lucchesinius loquutus, veniamque a Furiettio, & Fortio petisset, quod nimia illos, & senili (ut ipse ajebat) loquacitate detinuisset, inclinato jam in vespertinum tempus die, omnes surreximus. Et nos quidem, Ego, & Lucchesinius, in villa (ibi enim diversabamur) remansimus: Illi autem ita discesserunt, ut vehementer se gavisos esse dicerent, quod tam variæ, tamque reconditæ eruditionis participes essent facti.

Quod

QUod Natura Dialogi minime patiebatur, ut de claris Pontificiarum Epiſtolarum Scriptoribus niſi curſim loqueremur, idcirco optimum factu viſum eſt, ſi diligentiorem quandam eorum deſcriptionem afferamus: & prætereа, quo res eſſet explicatior, in extrema pagina eorundem ſeriem ad Pontifices illos referamus, quorum ipſi fuerunt, uti vocant, *Secretarii.*

S. HIERONYMUS.

DAmaſi Pontificis *Secretarium* fuiſſe Hieronymum, plerique exiſtimant, & præſertim Benedictus XIV. Pontifex immortalis ſua illa Conſtitutione eruditionis, prudentiæque pleniſſima, quæ extat de relationibus Epiſcoporum. Sed tum ipſe, cum alii id maxime conficiunt ex Epiſtola II. Hieronymi, in qua ſcriptum reliquit: *Ante annos plurimos quum in chartis Eccleſiaſticis juvarem Damaſum Romanæ Urbis Epiſcopum, & Orientis, & Occidentis conſultationibus reſponderem:* Hoc autem ad aliquam conjecturam faciendam pertinere, non ad perſpicuitatem, vel evidentiam rei dicimus. Tanta enim eſt in ſcribendo diſſimilitudo Hieronymi cum Damaſo, ut hujus illum ſtudiorum adjutorem potius, quam ſcriptorem epiſtolarum fuiſſe agnoſcamus. *Chartæ* enim Eccleſiaſticæ ſignificare videntur divinas lite-

literas, quarum Hieronymum peritissimum fuisse nemo ignorat.

S. PROSPER AQUITANUS.

PRosperum Aquitanum S. Leonis Papæ *Secretarium* fuisse nonnulli tradunt, imprimìsque Gennadius *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, qui ait: *Epistolæ quoque Sancti Leonis adversus Eutychem de vera Christi incarnatione ad diversos datæ ab ipso dictatæ creduntur. Id autem potissimum de celebri illa ad Flavianum epistola solet intelligi.*

In eadem Gennadii sententia Marcellinus fuit in Chronic. ad an. CCCLXIII. necnon Joseph Antelmius in iis Dissertationibus, quas de Operibus S. Leonis & S. Prosperi Lutetiæ Parisiorum publicavit an. CIƆIƆCLXXIII. Tillemontius vero scriptor magni nominis, ut nemo ignorat, de Prospero ita loquitur Tom. XVI. ut Leonis Secretarium fuisse putet.

Nos autem, utut epistola illa ad Flavianum Prosperi fuisse existimetur, & fuerit, tamen omnino adduci non possumus, ut Prosperum Leonis *Secretarium* fuisse arbitremur, propter diversam utriusque rationem scribendi. Quid enim tam dissimile, quam Prosper, & Leo? Præterea Prosperum non *Clericum*, sed *Laicum* fuisse accepimus; ut præteritis *Clericis* illum ad tantum munus a Pontifice adhibitum fuisse, vix credibile sit. Nam qui Episcopum fuisse ajunt, ii quidem vehementer errant, & Prosperum Aquitanum eundem putant

tant esse, atque alterum Prosperum Regii in Gallia Cisalpina Episcopum.

S. GREGORIUS MAGNUS.

PRimus igitur, quantum opinamur, qui sine ulla controversia *Papæ Secretarius* dici possit, is est Gregorius Magnus; quem Pelagius Secundus Constantinopoli, quo illum ante ad Imperatorem legaverat, revertentem voluit esse scriptorem epistolarum suarum. Atque is, mortuo Pelagio, abstractus a solitudine, in quam confugerat, factus est Pontifex magno Romanæ Ecclesiæ bono. Vix enim Pontificem alterum invenias, qui tam multa, & tam sancte conscripserit. Sunt tamen, qui Gregorium accusent, propterea quod latinos veteres optimos auctores aboleverit, & Bibliothecam ipsam Palatinam combusserit, quo (ut ait Joannes Sarisberiensis *de nugis Curialium*) *divinæ paginæ gratior esset locus, & major auctoritas, & diligentia studiosior*. Hæc autem fortasse opinio fluxit ab epistola illa, qua Archiepiscopum Viennensem acriter objurgat, quod Grammaticam edocens latinos Poetas *Ethnicos* interpretaretur. *Quia*, inquit, *in uno se ore cum Jovis laudibus Christi laudes non capiunt; & quam grave, nefandumque sit Episcopis canere, quod nec laico religioso conveniat, ipse considera*. Sed hanc ab eo falsam criminationem depellunt auctores valde boni, imprimìsque Platina in vita ipsius Gregorii, & Sabiniani, qui Gregorio successit. Joannes certe Diaconus,

qui

qui Gregorii æqualis fuit, ejusque vitam conscripsit, testatur eum optimis disciplinis imbutum, & Pythagoricæ Philosophiæ a prima ætate deditum fuisse: tum etiam doctissimos clericos, & latinarum literarum peritos *sibi consiliarios, familiaresque delegisse* *.

JOANNES ABBAS.

HOnorii Primi *Secretarius* fuit Joannes Abbas, qui epistolam illam ad Sergium conscripsisse dicitur, quæ eruditorum fama celebratur. Hujus Joannis perhonorificam mentionem facit S. Maximus in Dialogo cum Pyrrho: *Quis fide dignus istiusmodi epistolæ interpres? Is, qui eam ex persona Honorii scripsit, cum & adhuc vitæ superstes sit, ac qui cum aliis suis virtutibus, pietatis dogmatibus omnem Occidentem illustrat.*

PETRUS BENEVENTANUS.

PEtrus Beneventanus, qui natus ex pervetusta nobilissimaque Familia Collinuccina Beneventi diem extremum obiit anno CIↃCCLVIII. die XX. Sept., Innocentio III. ab Epistolis fuisse dicitur, atque ab eodem Pontifice Cardinalis Diaconus creatus Tit. S. Ma-

G riæ.

* Etiam in Sicconis Palentoni Paravini Scribæ Commentario *Scriptorum illustrium latinæ linguæ ad Polidorum Filium Lib. V.*, ubi agitur de T. Livio luculenta habetur Gregorii Magni defensio contra illam criminationem.

rlæ in Aquiro, & Episcopus Sabinensis, Concilio, quod in Monte Pessulano in Gallia contra Albigenses habitum est, Legatus a latere præfuit. Ob literarum præstantiam Magister vulgo appellatus est, atque ipse unus delectus a Romanis, qui ejusdem Innocentii III. epistolas colligeret, atque Bernardo Compostellano collectionem ipsam adornanti opponeretur. Nolebant enim tum Itali a Transalpinis hominibus vinci studio, & gloria doctrinæ.

RICARDUS POFIANUS.

IN Chisiana exquisitissima Bibliotheca extat perantiquus codex epistolarum Papæ Innocentii Quarti, quas Magistrum Ricardum Pofianum *Secretarium* ipsius conscripsisse apparet. Et quidem perhonorifica *Magistri* appellatio hominem etiam doctum fuisse declarat, eo præsertim tempore, quo non ita vulgo tribui solebat.

BERARDUS DE NEAPOLI.

BErardum de Neapoli decem Summis Pontificibus fuisse a *Secretis* ex vetustissimo quodam elencho, qui in Tabulario Pontificio servatur, satis superque constat. Ibi namque pag. xl. hæc habetur inscriptio: *Litteræ factæ per magistrum Berardum de Neapoli Domini Papæ Notarium super negotio Imperii temporibus Urbani, Clementis, Gregorii, Innocentii, Joannis, & Nicolai Summorum Pontificum:* at-

atque pag. cccxci. *Litteræ factæ per eundem Notarium pro Concilio Congregato Lugduni.* Ipsæ exstant Epistolæ. Fuisse itaque hominem non vulgaris doctrinæ vel id maximo argumento est, quod tot Summi Pontifices illius opera in conscribendis secretioribus Epistolis tamdiu usi sint.

MARINUS EBULENSIS.

MArinus Ebulensis *Secretarius* Gregorii Papæ Decimi fuit. Hoc facile intelligitur ex *Formulario* illo MS. quod in Vaticana Bibliotheca adservatur, & quod toties citatur a Raynaldo ad an. MCCLXXIV. n. V. ad an. MCCLVI. n. XVIII. & XXVIII.

THOMAS CAMPANUS.

EOdem fere tempore *Secretarium* Pontificium fuisse Thomam quendam Campanum percipi potest ex ipsius *Forma dictaminis*, quæ MS. in Bibliotheca Ottoboniana extat. Hujusce rei aliarumque plurimarum notitiam ad me attulit amicus meus (quem honoris, & grati animi causa nomino) Constantinus Rugerius, Bibliothecæ Renati Imperiali Cardinalis Præfectus, vir, in quo mira sane eruditio, mira antiquitatis memoria, &, quod ego pluris quidem facio, mirus candor animi, atque morum. Sed hic repentina quadam morbi vi correptus mortem miserabiliter con-

ſcivit ſibi ipſi magno mœrore bonorum omnium; ſane in eum librum inducendus, quem de Literatorum infelicitate Pierius Valerianus conſcripſit.

JOANNES BONONIENSIS.

JOannes Bononienſis quid hominis fuerit, invenire nunquam potui; Sed *Secretarium* Bonifacii VII. alias VIII. fuiſſe conſtat ex duplici *Inſtrumento*, quod habetur in Codice Bibliothecæ Vaticanæ, ubi ita ſcriptum eſt: *In regione Parionis in domo habitationis egregii viri, atque venerabilis Domini Joannis de Bononia Secretarii D. N. Papæ &c.* die XI. Aug. 1301. Alia multorum ejuſmodi inania nomina in Dialogo prætereunda exiſtimavimus.

JOANNES ANDREAS CALDUINUS.

JOannes Andreas Calduinus Patria Bononienſis, Juriſque Conſultus, Clementi VI. ab *Epiſtolis* fuit. Nihil de hoc homine præterea novimus, niſi quod in Templo S. Dominici Bononiæ ſepultus eſt.

FRANCISCUS BRUNUS.

HIC eſt Franciſcus ille Brunus rhetor Florentinus, ad quem Petrarcha Epiſtolas conſcribit XIV. in quibus eum appellat *honorabilem, inſignem, egregium.* Atque hunc Romam Urbanus Quintus evocavit, ſibi ut eſſet ab

ab Epistolis; quod ex epistola potissimum constat Lini Colutii Salutati, in qua legimus: *De illo enim*, Urbano Quinto scilicet, *qui te de Patria omnium admiratione vocavit ad sua secreta, de conjugali toro præter consuetum elegit, totque cumulatis honoribus exornavit.* Aliæ extant ejusdem Salutati epistolæ ad Franciscum inscriptæ *Summi Pontificis Secretarium.* Neque vero Urbani Quinti solum, sed & Gregorii Undecimi, & Urbani Sexti scriptor epistolarum fuit, quum an. 1385. ut apparet ex historia, ei adhuc muneri, atque officio præesset. Male *Niger de Scriptoribus Florentinis* eundem putat esse, atque Leonardum Brunum, de quo infra dicendum est.

ZENOBIUS E STRATA.

ZEnobius, Joannis F., e Strata Vico prope Florentiam, a quibusdam *Mazolius* dictus est, sed a veteribus, præsertimque a Matthæo, & Philippo Villaniis hoc cognomento haud notatur. Is quamquam viginti vix annos natus Grammaticam pueros docere cœperit, quicquid tamen otii a docendi labore sibi concedebatur, in pervolvendis Poetarum, ac Philosophorum libris diligentissime impendebat. Itaque brevi soluta, strictaque oratione mirum in modum excelluit. Carmen in laudem Primi Scipionis Africani aggressus erat, sed cum rescisset id argumenti a Petrarcha tractari, perficiendi consilium abjecit. Cum hujus doctrinæ fama percrebuisset, a Nicolao Ac-

ciajolio magno Regis Neapolitani Senescalco accitus est, maximisque honoribus affectus. Non multo post a Carolo Bohemo Imperatore Poeta coronatur Pisis, atque ab Innocentio VI. fit Protonotarius atque *Secretarius* Apostolicus. Tum vero si Philippo Villanio, aliisque etiam Scriptoribus fides adhibenda est, poesim reliquit Zenobius, ut Epistolis Pontificiis vacaret. Sed cum labori corporis vires pares non essent, se a difficili scribendi Epistolas munere abdicavit, totumque se iterum Musis tradidit, quo naturæ impetu ferebatur. Anno ætatis suæ undequinquagesimo Avenione obiit, honorificeque elatus est. Forma eximia fuisse ferunt, & pudicitiam tamen cum ea conjunxisse, atque ad mortem usque servasse creditur. Zenobii scripta apud Chartusianos prope Florentiam deposita fuerunt cura, & studio Nicolai Acciajolii, qui hominem summopere amaverat, postque ejus mortem mandaverat Landulpho Neapolitano, qui Zenobio fuerat a secretis, ut sibi ea omnia scripta mitteret, ipseque Acciajolius illa deposuit apud Chartusianos, quorum negligentià periisse timendum est. Extat Nicolai Acciajolii Epistola Florentiæ in Bibliotheca Magliabechiana ad Class. VIII. Cod. Chart. XXXIII. pag. 133. Literas publicas, quas Pontificis nomine scripsit, PP. Martenius, & Durandius nuper edidere T. II. Thes. nov. anecd. Præter hasce literas, versusque quo die coronatus est Pisis recitatos Poccianti exstare ait nescio quod carmen in Sphæram, & orationem de

Fa-

Fama ad Carolum IV. Imperatorem. Non desunt autem viri eruditi qui negent, versus ullos fuisse a Zenobio Pisis recitatos qua die coronatus est. Orationem de Fama recitavit antequam coronaretur solemni Ascensionis die coram Carolo IV. Cæsare, Petro Bertrando Cardinali Hostiense, aliisque amplissimis viris *extra Cathedralem Ecclesiam Pisanam*, in eaque Oratione nonnullos versus inseruit. Ea in præsens in Bibliotheca Medicea servatur ad Plut. xc. inf. Cod. XIV. chart. in 4. pag. 301. Sed præcipuum Zenobii opus est Moralium S. Gregorii itala versio, quæ in lingua italica auctoritatem obtinet, cujus nova Romæ editio Ven. Card. Thomasii studio cœpta, cura perfecta est Alexandri Card. Albani literarum, pulchrarumque artium omnium, quas apprime callet, Patroni munificentissimi. Zenobius autem (quod notandum videtur) dum librum illum verteret, exacto vix lib. XIX. cap. XVIII. diem suum obiit. Reliqua ergo ad alium referre Scriptorem oportet.

COLUTIUS SALUTATUS.

COlutius Salutatus Petri F., Pisciensis, Orator & Poeta latinus, Pontificum Innocentii VI., Urbani V., Gregorii XI., ac demum Reipublicæ Florentinæ *Secretarius* fuit. Ejus vitam quam diligentissime conscripsit Mehus homo antiquitatis valde peritus, qui libros etiam illius omnes recenset. Poggius Colutium parentem doctorum omnium appel-

 lat,

lat, propterea quod inter primos fuiſſe dicitur, qui latinas literas quaſi ab interitu revocaverunt. Mortuus Florentiæ eſt an. 1406., eumque Leonardus Arretinus in funere publice laudavit. Quod ad rem noſtram pertinet, hoc addendum exiſtimamus: Tantam in Colutio eloquentiæ vim extitiſſe, ut Joannes Galeatius Vice-Comes crebro auditus ſit dicere, *non tam ſibi mille Florentinorum Equites, quam Colutii ſcripta nocere.* Quam Vice-Comitis ſententiam adeo Sanſovinus, atque Ammiratus amplificarunt, ut jam non mille, ſed pleno ore, ſi Deo placet, viginti millia dixerint.

THEODORICUS NIEMUS.

THeodoricus Niemus in Weſtphalia natus, Eccleſiæ Lucanæ Clericus, ſcriptor fuit Pontificiarum epiſtolarum an. 1372., vel quæ aliorum opinio eſt, mortuo jam Gregorio XI. Is autem mortuus eſt non ante an. MCCCCXVII. Scripſit de Schiſmate inter Urbanum VI., & Clementem VII. Antipapam, quod opus XXXII. annorum hiſtoriam complectitur, hoc eſt ab ann. 1378. ad ann. uſque 1410. Vitam etiam Joannis XXIII. aliorumque Pontificum conſcripſit, aliaque plura *de poteſtate Imperiali, & Papali: de Reformatione Romanæ Curiæ: Exhortationem ad Rupertum Regem Romanorum, ut excitatus a ſomno diuturno, & ſchiſma Pontificum in Eccleſia extirpet, & Imperii jura reformet.* Laudatur, quod veritatis ſtudium præſeferens, rem aperte ac ſimpliciter nar-

narret; sed, ut Horatius ait, *est modus in rebus*. Ipse quidem certe adversus Romanam Ecclesiam non dissimulat virus acerbitatis suæ.

FRANCISCUS DE CANZANICO.

QUædam habetur epistola Coluccii Salutati inscripta *Domino Francisco de Canzanico Secretario D. N. Papæ*. Habentur etiam Reipublicæ Florentinæ nomine conscriptæ epistolæ altera ad Ducem Venetorum, altera ad Cardinalem Florentinum, utraque An. MCCCXCV. quibus commendatum legimus *Dominum Franciscum de Canzanico Secretarium Summi Pontificis, & Priorem Sancti Apollinaris de Florentia*. Hic Franciscus An. MCCCXCI. fuit inter majores maximi templi Florentini Sacerdotes cooptatus: atque ex actis ejus collegii habetur, fuisse jam tum Pontifici Max. ab Epistolis. Ex quibus facile colligitur ipsum Urbano VI. & Bonifacio VIII. alias IX. operam suam tribuisse.

BARTHOLOMÆUS FRANCISCI PISTORIENSIS.

TRes habentur epistolæ nomine Reipublicæ Florentinæ inscriptæ *Domino Bartholomæo Francisci de Pistorio Secretario Summi Pontificis*. Prior data apparet mense Martio An. 1381., altera mense quinctil. ejusd. anni, tertia mense Novembr. An. 1400. Colligitur inde Bartholomæum Urbano VI. & Bonifacio VIII. vulgò IX., operam dedisse.

POG-

POGGIUS BRACCIOLINUS.

POggius Bracciolinus, Florentinus dictus, sed in agro Arretino natus Anno D. MCCCLXXX. quum Florentiæ latinas literas didicisset à Joanne Ravennate, qui Jacobum Malpighinium Patrem, atque annos ipsos XV. Franciscum Petrarcham magistrum habuerat; tum Patavii ludum exercuerat, ac mox Florentiæ eloquentiam publicè profitebatur: græcas ab Emmanuele Chrysolora didicit. Romam venit, multorumque Pontificum, hoc est Innocentii VII. Gregorii XII. Alexandri V. Joannis XXIII. Martini V. Eugenii IV., Nicolai V. Epistolas conscripsit. Id enim muneris L. ferme annos, multa sua cum laude exercuit. Quum fere octoginta vixisset annos, Florentiæ, quo admodum senex, factus Reipublicæ *Secretarius*, venerat anno MCDLIX. mortuus est. Bene de literis meruisse dicitur, quod itinere in Germaniam Constantiam usque cum Bartholomæo Politiano, & Cincio Romano, item in Britanniam arrepto Tertulliani, Asconii Pediani, Silii Italici, Ammiani Marcellini, Manilii, Probi Grammatici, Frontini de Aquæductibus, Columellæ, Nonii Marcelli, aliorumque scriptorum libros, vel invenisse primus, vel pleniores emendatioresque nactus esse existimatur. Sed & ipse non omnino inelegans scriptor fuit, de quo tamen Erasmi judicium in Dialogo illo, qui Ciceronianus inscribitur, est ejusmodi: *Natu-*

tu-

turæ satis erat, artis, & eruditionis non ita multum; interim impuro sermonis fluxu, si Laurentio Vallæ credimus. A Paulo Jovio in Elogiis dicitur *adeo intemperans objurgator, ut cum in theatro Pompeii, loco & die celebri, ubi bullatorum Diplomatum censura habebatur, Georgio Trapezuntio malediceret, ab eo acriter duplici colapho cæderetur &c.* Quædam vertit e græco, multa etiam ipse scripsit, ac postremo Historiam Florentinam, sed ambitiosius, quam unius veritatis cultorem Historicum deceat; de quo est pulcherrimum illud Sannazarii:

Dum Patriam laudat, damnat dum Poggius hostem,
Nec malus est civis, nec bonus historicus.

Ceterum Poggianorum Operum collectio, primum Argentorati, deinde Basileæ in lucem prodiit; sed neutra dici integra potest: desunt enim Epistolæ fere omnes latinè conscriptæ, quas ipse in tres libros distribuerat, suntque plures quam DCC. Desunt quoque orationes non paucæ, aliaque. Quæ omnia Florentiæ MSS. reperiuntur. De ipsius Poggii vita rebusque gestis plures scripserunt, inter quos Joannes Baptista Recanatus, Henricus Albertus Sallengrius, Jacobus Lenfantius, aliique.

LEONARDUS ARRETINUS.

LEonardus Brunus Francisci Filius, quod Arretii an. MCCCLXX. circ. natus est, Arretinus dictus, cum græcas, latinasque literas

ras ita calleret, ut omnibus antecelleret, qui ea ætate doctissimi habebantur, Poggii literis Romam accitus, ejusdem opera factus est Innocentii Septimi *Secretarius*, sive, ut ait Volaterranus, Pontificiarum Magister Epistolarum, quod munus exercuit etiam Gregorio, Alexandro, & Joanne XXIII. Summis Pontificibus. Cum Joannes Bononiæ esset, Leonardus discessit, ut sibi delatum Cancellarii munus, Florentiæ obiret. Quo tamen paucis post mensibus abdicato Romam ad vetus Secretarii Apostolici officium rediit, pauloque post uxorem duxit, ex qua unicum Filium suscepit. Cum Joannem Constantiam usque ad Concilium prosequutus esset, illiusque Pontificatum inclinatum ac prope jacentem videret, iterum Florentiam se contulit, ubi denuo Cancellarii * munere, summisque civitatis Magistratibus perfunctus est. Septuagenario major Florentiæ obiit ann. 1444. elatus publico sumtu, laudatus a Poggio, sepultusque in Templo S. Crucis, ubi hoc ipsius Sepulchro Elogium incisum est:

Postquam Leonardus e vita migravit,
Historia luget, eloquentia muta est;
Fertur que musas tum græcas tum latinas
Lacrymas tenere non potuisse.

Multa Leonardus scripsit volumina, quorum In-

* Leonardo munus Cancellarii Florentini primò demandatum fuit Cal. Septemb. an. MCDX. Iterum idem munus homini delatum fuit Cal. Nov. an. MCDXXVII. Ita in Annalibus Florentinorum scriptum reperitur.

Indicem vide tum apud Laurentium Mehus, tum apud Mazuchellium. Inter reliqua eminet Historia Florentina, de qua Poggius in funebri Oratione hæc ait: *Sed quod sibi summam etiam laudem omnibus affert seculis historia est de rebus Florentinorum duodecim libris scripta. Orsus est eam paullo supra trecentesimum annum, a quo tempore res populi Florentini certiores ex superiorum scriptis reperiuntur, opus certè luculentum ..... Non autem quod proposuerat ad extremum deduxit. Nam cum constitueret ad hæc nostra tempora usque historiam prosequi, bella solummodo, quæ cum priori Duce Mediolani gessimus, conscripsit, reliqua perficere conantem mors interrupit.* Scripsit Scipio Ammiratus, volumen illud supra demortui hominis pectus fuisse honoris causa palam propositum, dum illi parentaretur. Interim nos unam ex ejus epistolis hic afferendam existimavimus.

LEONARDUS PAPÆ * S.

NOvam litem, Beatissime Pater, Secretariis Beatitudinis Tuæ per Advocatos Consistoriales moveri audio, in progressione, pompaque solemni de cohærentia Pontificis contendentes. Ego igitur tanquam clamore excitus curro, ac locum defendere meum pro virili propero, rationes colligens, quæ pro justitia nostra contra illorum injuriam facere videntur. Primum igitur incipiam *ab*

* Martino V. Exstat in Codd. mss. atque etiam typis vulgata.

ab eo, quod observatum conspexi. Memini me quidem tribus coronationibus Romanorum Pontificum interfuisse, Gregorii, Alexandri, Joannis. In quibus omnibus Advocati nobis præire jussi sunt, quoniam in remanendo honos habebatur. Idem quoque ceteris progressionibus servatum vidi. Quamobrem magnopere quidem admiror, cum mos, & consuetudo hactenus ita fuerit, quid nunc novi impellat ad illa tractanda. Neque enim illud ut credam adduci possum, eos scilicet moveri, quod Secretariorum, qui nunc sunt, personas contemnant. Habet enim, quod sine arrogantia dictum velim, officium hoc excellentissimos quosdam viros, & scientia, & doctrina, & eloquentia præstantes, de quibus etiam gloriari Sedes Romana possit, qui non recusabunt, si contemni se sentiant, in comparationem illorum devenire. Enimvero personas Secretariorum nequaquam contemnunt, sed officii dignitate se præferendos autumant, & de hoc uno controversia est, non de scientia, nec de virtute hominum, sed de officiorum præstantia, atque dignitate. Si ergo officiorum ipsorum inter se comparatio quædam, & quasi contentio facienda est, & utrum eorum sit dignius, quod Pontifici adhæreat, quærendum, idque unum in judicium venit; redeo ad id, quod primo loco posui, usu, & consuetudine jampridem receptum esse, ut Secretarii præferantur, quod nec sine causa probabili factum existimare debemus, Deinde si omissa consuetudine officia per se considerare velimus, reperiemus Secretarios de sui natura Pontifici adhærere, Advocatos autem longe disjunctos esse. Neque enim latere nos debet,

bet, quia Secretarii, Pontificis sunt Secretarii, Advocati autem non Pontificis sunt, sed litigantium Advocati. Atqui id permagnum quiddam est, & quasi totum in præsenti judicio. Nam cujus quisque est, ei natura cohæreat necesse est. Apparet autem Secretarios Pontificis esse, Advocatos vero litigantium, ex quo fit, ut alter suus Pontifici revera sit, alter extraneus, & impertinens. Veritas ergo ipsa subtiliter intuenti ostendit, Secretarios e sinu quodammodo Pontificis esse, illique velut membrum inhærere; Advocatos vero longe disjunctos esse. Ego igitur in pompa progressuque solemni eum, cujus Secretarius sum, Pontificem sequor, eique, ut ratio dictat, inhæreo; tu vero eos, quorum es Advocatus, litigantes sequare, illisque inhæreas; qui cum nullum omnino locum in solemni progressu obtineant, nec tu forsan, si recte judicetur, obtinere debes, & tecum bene agi putare, si non omnino repellaris. Medium autem interponere te inter Pontificem, & Secretarios suos, nec rationabile sane, nec tolerabile est. Vis igitur, & natura utriusque officii alterum inhærere, alterum disjunctum esse ostendit. Quid autem nomina? nonne hoc idem probant? Et quis non videt Secretarii nomen penetralem quandam cognitionem rerum Pontificis dicere, maximeque conjunctam, & cohærentem designare personam? Advocati autem nomen longinquum hominem, alienumque significat. Cum enim tres in judicio personæ necessario versentur, Judex, actor, & reus, horum nullus est Advocatus, sed est alienus quidam ab actore, vel reo mercede conductus ad litigandum, qui, quod ab

alio,

alio, cujus lis erat, vocatur, Advocatus appellatus est. Quæ igitur huic homini conjunctio sit cum Pontifice, qui ad rem alienam, & privatam non a Pontifice adhibetur; sed a litigante conducitur, cujus etiam munus hoc postulat, ut longinquo clamore Pontificem alloquatur, secreto autem affari suspiciosum sit? Quid ergo est aliud confundere ordines, perturbare officiorum munera, deiicere a capite membra, quam postulare, ut Secretarii procul a Pontifice submoveantur, Advocati autem in propinquo consistant, ut quibus secreto loqui expediat, in longinquo sint, quibus clamore uti conveniat, hi lateri cohæreant? At dignitate præstabilius est Advocatorum officium. Immo nec Secretariorum dignitati par. Sic enim cogita: res curiæ, ut mihi videtur, bifariam dividuntur, in litigiosas scilicet, & quietas. Cumque de sui natura quietæ sint res litigiosis præferendæ, litigamus enim, ut quietem nanciscamur, Advocatorum officium in his rebus versatur, quæ molestias, & lites, & odia continent: ex his enim pabulum quærit, & quasi alitur Advocatorum opera. Secretariorum vero in pacatis, tranquillisque rebus magis versatur, quæ procul dubio litigiosis sunt digniores. Est igitur ratione subjecti Secretariorum officium dignius, ac præstabilius. Præterea lites omnes odibiles sunt, partibus tamen nonnunquam necessariæ, Advocatis vero nunquam. Ex quo fit, ut sponte lites & odia sectari videantur, quod nec honestum sane, nec gloriosum est. Quod si Decretales epistolas, & Rescripta Pontificum Advocati allegent, & quod in illis cognoscendis, interpre-

pretandisque versentur, ideo se præferendos putent; meminerint quæso Decretales illas, atque Rescripta Secretariorum dictata esse, atque composita. Quæ enim tu, Advocate, legis, quæ interpretaris, ex quibus argumenta detorques, quorum sententiam admiraris, ea, inquam, verba omnia Secretariorum sunt. De nostris vos manibus fundamenta ipsa officii vestri percepistis, nos vero nihil a vobis percepimus. Utrum igitur officium dignitate præcellit? Id ne, quod tradit alteri, atque præscribit, an id, quod suscipit, atque observat? Insuper id officium dignius est existimandum, quod cum majori congruit dignitate. Secretariatus autem officium cum Episcopali dignitate concurrit, nec eam dedecere videtur. Fuerunt jampridem profecto & alii permulti, sed nostra ætate Franciscus Arretinus Episcopus, & Bartholomæus Cremonensis, & postquam Episcopi facti sunt, in officio Secretariatus perseverarunt. Advocationis autem officium Episcopalis dignitas despicit, atque abhorret, nec decere Episcopum ullo modo videtur. An igitur dubium est, quin Secretariatus officium & honestius, & dignius sit existimandum, cum Episcopalis excellentia, quæ maxima est, hoc non dedignetur, illud despiciat? Diximus de præstantia dignitatis, qua procul dubio præcellere Secretarios docuimus: nunc autem de commoditate pauca dicenda sunt. Equidem sic existimo, multa interdum ita constituta fuisse, ut ad commoditatem haberetur respectus. Neque enim possunt res agendæ, præsertim ingentes, & multæ, nisi certis commoditatibus expediri. Est aliquis, qui se-

creta Pontificis excipere debeat? hic propinquus adsit, vultum ejus intueatur, nec verba modo, sed nutum etiam præstoletur. Est aliquis, qui pro litigatoribus proponere, ac loqui ad Pontificem palam debeat? hic inter litigatores suos consistat, ab his rem cerebro audiat, atque doceatur, neque Pontifici hæreat, cum ejus cohærentia inutilis sit, & alios impediat, qui utiles esse possunt. Hæc dispositio, atque hic ordo in rebus constituendis semper valuit plurimum, & valere debet. Videmus Notarios Papæ antiqua consuetudine hoc uno respectu Episcopis esse prælatos: non enim dignitate, ut antecedant Episcopos receptum est, sed commoditate, quod hi sacros Pontificis afflatus excipere, illiusque jussa mandare literis solerent, unde Notarios appellatos constat. Si ergo horum officium, ut videmus, obsolevit, nihilque præter nomen inane illis relictum est; Secretarii autem illorum vicem subierunt, eaque apud Pontificem gerunt, quæ ab illis gerebantur; eadem patientia ferant Advocati, Secretarios sibi honore anteferri, qua Episcopi Notarios dudum antelatos sibi pertulere, præsertim cum Episcopalis Ordo dignitate longe superet Notarios, Advocati autem dignitate non superent Secretarios, immo nec pares illis sint, & commoditatis ratione, ut probavimus, superentur.

FRANCISCUS DE MONTE POLITIANO.

HIC fuit Franciscus Petri de Ragazzis de Monte Politiano, quem inter Pontificis Max. Secretarios recenset Leonardus Brunus in

in epistola quam supra attulimus. Fuit Arretinus Antistes, adhuc tamen in officio Secretariatus perseveravit.

UBERTUS DECEMBRIUS.

UBertus Decembrius Viglevani in Insubria natus Emmanuelem Chrysoloram adolescens audiit; atque in Philosophia oratoria atque poetica facultate excelluit. Alexandro primum V. fuisse a *Secretis*, deinde Joanni Mariæ Vicecomiti satis constat. Cum vero in vico Trivilii jus diceret, vita decessit, sepultusque est Mediolani in Porticu Basilicæ Ambrosianæ, ubi adhuc legitur Epithaphium a se ipso conscriptum:

Sorte necis pariter stratis cum corpore membris.
Hic locus ossa tenet Uberti inclusa Decembris.
Iste Ducis Ligurum secreta peregit, & Urbis.
Platonicæ dederat translata volumina turbis
Argivæ ac latiæ linguarum dogmate fultus;
Viglevani natus famosa est Urbe sepultus.
Non tamen extinxit sævo mors omnia telo:
Terrea pars terræ cessit, pars optima Cælo.
CIↃCCCCXXVII. die Veneris XXV. Aprilis.

BARTHOLOMÆUS CAPRA.

BArtholomæus Capra Cremonensis *Secretarius* fuit Innocentii VII., a quo Episcopatu Cremonensi XVI. Kal. Augusti an. MCDV. auctus est. Sed hoc Episcopatu illum privavit Joannes XXIII., quod in tanta partium contentione Gregorio XII. favisse existimabatur. Qua tamen suspicione deposita, Joannes Pontifex Bartholomæum Archiepiscopum Mediolanensem creavit. Orator habitus est, & Poeta eo tempore sat bonus. Quæ autem multa egit prudenter in Concilio Constantiensi, leguntur in Ughellio. Mediolanensis etiam Ducis nomine Genuæ præfuit. Sigismundum Imperatorem in Ambrosiana Basilica, corona ferrea imposita, Regem Italiæ renunciavit. Martinum V. Pontificem e Constantiensi Concilio revertentem regia magnificentia Mediolani excepit an. 1418. Mortuus est Basileæ an. MCDXXXIII., sive quæ aliorum opinio est, MCDXXXV. In ejus Epitaphio hi versiculi sunt:

Quem legis, insubris Præsul clarissimus Urbis,
Capriger hoc situs est Bartholomæus humo.
Vir rectus præerat populis, & jura ferebat.
Diva huic mens, divum judiciumque fuit.
Oratorque suo, vatesque insignis in aevo.

In-

Insigni doctos auxit honore viros.
Extinctum hunc magni Reges flevere, ducesque:
Testata est fletus Patria mœsta suos.

JACOBUS ANGELI SCARPARIENSIS.

JAcobus Angeli Scarpariensis latinas literas sub Colucio Salutato Florentiæ, græcas sub Emmanuele Chrysolora primum Venetiis, mox Constantinopoli, quo græcum hominem erat sequutus, demum cum Leonardo Arretino Florentiæ quo Emmanuel publicè accitus fuit an. MCCCXCVI. perdiligenter didicit. Hæc habentur ex epistolis tribus Colucii Salutati Florentini tunc scribæ, quarum una ad Demetrium Cydonium græcum & ipsum, altera ad Emmanuelem, tertia ad ipsum Jacobum scripta est, atque servantur Florentiæ in Bibliotheca olim Gaddiana, nunc Medicea *. Romam venit an. MCDI. Bonifacio IX. Regnante, atque quatuor post annis regnante Innocentio VII. cum Arretino, quicum jam antea de studiis literarum Florentiæ contenderat, de *Secretariatus* Apostolici dignitate certavit. Quo in certamine quamquam victus discesserit, quod Arretinus multo elegantius scribere putaretur, illique multo plures, potentioresque amici studerent, sin minus rem, no-

* Ad Plut. XC. Cod. XLI. chart. in 4. pagg. 239. 251. & 253.

nomen certe *Secretarii* Apostolici consequutus est. Claudii Ptolomæi Geographiam, vitasque Pompeii, M. Bruti, Marii, Ciceronis ex Plutarco desumtas latine vertit. Extat etiam Epistola ad Emmanuelem Chrysoloram, qua Innocentii VII. funus, & Gregorii XII. electio describitur. *Alia*, inquit Bartholomæus Facius, *putatur fuisse scripturus, nisi eum in ipso juventutis flore immatura mors oppressisset.*

ANGELUS DE MONTE POLITIANO.

ANgelus Bellarminus de Monte Politiano fuit Eugenio IV. fortasse etiam Martino V. ab epistolis. Hoc homine Ambrosius Traversarius Camaldulensium Abbas Generalis, excellenti vir ingenio, amicissime utebatur. Id testatur sæpe in suis Scriptis Ambrosius ipse. Typis edita habetur epistola ipsius Angeli ad Michaelem Camaldulensem, in qua Ambrosii mortem gravissime queritur.

DOMINICUS CARD. CAPRANICA
ET
JACOBUS LANGUSCUS VERONENSIS.

DOminicus Capranica, Romæ summo genere natus, Patavii primum, deinde Bononiæ ab eximiis Præceptoribus eruditus fuit. A Martino V. factus est *Cameræ Clericus*, postea ascitus in numerum *Secretariorum Apostolicorum*. Poggius inter ceteros Capranicæ collegas recenset Jacobum Languscum Vero-

ronenſem, cujus in Hetruria habentur MSS. Epiſtolæ, & Carmina. Non abs re factum arbitror Poggii verba exſcripta huc referre: „ Inde in Secretariorum numerum adſcitus, clariſſimis totius Orbis viris Collega additur, & qui non minus dignitatis, exiſtimationiſque ei officio attulerunt, quam ipſi ab eo loco ornamenti acceperint. Hi fuerunt Leonardus Arretinus, Cincius Romanus, Antonius Luſcus Vicentinus, & parens meus Poggius Florentinus; cum quibus nec ſatis longo intervallo in eum ordinem lecti, Jacobus Languſcus Veronenſis, Blondus Foroliviensis, & alii multi ſimul floruerunt, qui una cum eo ſunt extincti. Nam poſtquam a Caliſto, nullo aut hominum, aut loci habito reſpectu, ſordidiſſimis multis in eum ordinem lectis, ad cohortis prætoriæ modum numerus eſt inſtitutus, quæ quondam maxima in Curia Romana erat, dignitas eſſe deſiit, & in nullo honore haberi. Et qui deinceps rerum potiti ſunt, rati oblatam ſibi honeſtam cauſſam, quo tantam gentium colluvionem comprimerent, ad unum omnibus collatis eum ordinem funditus ſuſtulerunt. Non tamen omnino deſperandum eſt, futurum aliquando, ut ampliſſimus ordo in antiquam dignitatem reſtituatur, quandoquidem, & ſumma ipſius loci auctoritas, & memoria multorum virorum excellentium, qui maximo ornamento quondam Pontificibus fuerunt, aliquos excitaturæ fore vi-

„ deantur “. Quibus honoribus condecoratus fuerit, quas legationes obiverit, quæ prudenter egerit, quæ fortiter tulerit, Ciacconius Tom. 2. aliique tradunt. Quæ ad rem nostram pertinent, hæc sunt: hominem eruditum fuisse, ac Historicorum, & Poetarum omnium lectione ita esse delectatum, ut nemo magis. Scripsit aliqua pie, neque ineleganter, scilicet:

Introductorium de Pontificatu gerendo opus Italice scriptum:

De arte pie in Christo moriendi.

Orationem ad Alphonsum Regem Neapolis.

Tractatum de contemtu mundi.

Pugnam spiritualem, & Artem serviendi Deo Lingua Italica. Sepultus est in Æde S. Mariæ super Minervam hoc Epitaphio:

Sedente Paulo II.
Dominico Capranicensi
Tit. S. Crucis in Hierusalem
Presb. Cardinali Antistiti Firmano
Magno Pœnitentiario
XII. Apostolicis Legationibus claro
Pacis Italicæ in annos XXV. constitutori
Doctrina, religione, & sanctis semper operibus
Admirabili
Angelus ejusdem Tit. Cardinalis
Unanimi Fratri
Ac sibi commune Monumentum hoc fecit
Vixit idem Dominicus ann. LVIII.

AN-

ANTONIUS LUSCUS.

ANtonius Luscus Vicentinus Romam profectus in magna sui expectatione a Gregorio XII. P. Max. in *Secretariorum* Collegium admissus est: Quod ex Epistola etiam Philelphi constat, quæ ita inscripta est: *Antonio Lusco Secretario Apostolico.* Habuit tantam opinionem poeticæ laudis, ut magno Laurentio Vallæ crimini datum sit, quod Bartholomæum Politianum (de quo inferius redibit sermo) Antonio Lusco antepofuerit. *Scripsit enim heroico versu Epistolas, atque Epigrammata complura, quæ postea collecta filius & ipse doctissimus in octo libros digessit. Solutæ quoque orationi adornata eloquentia operam dedit. Scripsit in undecim Ciceronis orationes opus utile, ac vel doctis probatum. Scripsit item exempla quædam & veluti formulas, quibus Romana Curia in scribendo uteretur, quæ etiam ab eruditissimis viris in usum receptæ sunt. Ad multam senectutem vixit, nec unquam a Poeticæ studio cessavit.* Ita Facius: sed de Antonio Lusco perhonorifica mentio est apud Poggium in lib. *de Varietate fortunæ*, atque apud alios, præsertim vero apud Cardin. Angelum M. *Quirinum in diatriba prælim. ad Francisci Barbari Epistolas*; quem Cardinalem genere, doctrina, pietate, liberalitate vere summum honoris caussa nomino.

FRA-

FRATER FRANCISCUS DE BRUNIS FLORENTINUS.

NON est silentio prætereundus Franciscus de Brunis Dominicanæ Familiæ alumnus, doctrina licet Franci, cujus erat germanus Frater, quam sua illustrior, atque ab Urbano V. & Gregorio XI. adscitus ad Pontificias Epistolas conscribendas. Sed vel hujus laboriosi muneris, vel aulicæ ambitionis pertæsus in Monasterium sese abdidit; unde ab Urbano V. ad Suessanum Episcopatum evocatus fuit. Quo Episcopatu sese abdicare jussus ab Urbano VI., cui suspectus atque invisus fuerat, in Monasterium rediit, ibique obiit, sepultusque est variantis fortunæ exemplar futurus. Hujus meminit Petrus Monaldus in lib. *de Familiis Florentinis.* *

CINCIUS ROMANUS.

CIncius Rusticus Romanus *Secretarius Apostolicus* fuit. Id enim constat etiam ex epistola Philelphi, quæ mense Aprili an. D. 1433. inscripta est *Cincio Secretario Apostolico.* Scriptorem non inelegantem fuisse, intelligi potest ex Epistola ipsius edita ab Eminentissimo Quirino in eadem Diatriba, & ex Oratio-

* Franciscus hic de Brunis vel nunquam fuit Monachus, vel fortasse nullo tempore exstitit. Videtur illum Petrus Monaldus perperam disjunctum voluisse a Francisco Bruno, de quo supra est habitus sermo.

tione ad Imperatorem Sigismundum, & ex alia Epistola, quæ in fine est libri illius, qui *Poggiana* inscriptus est. In Vaticana Bibliotheca adservantur Epistolæ Æschinis a Cincio e græco ad latinum sermonem traductæ: quod Fabricius ignoravit. Conservantur item aliquot ipsius Epistolæ ad amicos suos conscriptæ; nempe ad Antonium Luscum Collegam; ad Fratrem Joannem a Castilione Theologum Ordinis Prædicatorum illustrem: ad Petrum de Lazandiere, atque ad Cosmum & Laurentium Mediceos. Plutarchi opusculum De Virtute & Malitià ab eo latinè redditum fuisse, additâ etiam eleganti Præfatione auctor est Mandosius in *Biblioth. Romanâ.* Schraderus luculentam ejus sepulchri inscriptionem affert, quæ hæc est:

Cincio Rustico Secretario Apostolico, Græcæ Latinæque linguæ perito, quavis virtute decorato, & Marcello Rustico Urbis Cancellario, Secretario, & Scriptori Apostolico, ac Breviatori frugi, literatoque Antonius Rusticus Avo, & Fratri benemerito P. anno a Nat. Christi MCCCCLXXXVIII. Idibus Martiis.

PAULUS CAPRANICA.

PAulus Capranica Romanus Dominici, Angelique Capranicæ Card. germanus Frater, fuit ex Martini V. domesticis, intimisque familiaribus, ejusdemque *Secretarius*. Postquam ab Episcopatu Ebroicensi in Gallia ad Beneventanam sedem traductus est, intra duodevigin-

ginti menses vita decessit an. 1429. die postrema Decemb. Sepulchrum ejus marmoreum in Æde S. Marci hac Inscriptione ornatur:

Deo omnipotenti Sacrum
Paulo Archiepiscopo Beneventano e Capranica
Oriundo, qui ob morum clementiam,
Et praeclaras animi dotes Martino V. Pont.
Max. carus, dignusque, cujus fidei secreta sua,
Et Cardinalis, & Pontif. crederet,
Ad summos honores eveheret, majoribus
Suis eximia virtute præluxit, & Sacellum
Moriens e suo dotatum Familiæ suæ Capranicensi reliquit, & Nicolao Episcopo Firmano
Antonii Fratris Filio insignibus
Virtutibus conspicuo honoribus amplis. a
Summis Pontificibus ornato, Angelus Episcopus
Prænestinus S. Cruc. in Hierusalem Fratri,
& Nepoti B. M. ob pietatem posuit.
Ann. Christi 1470. Sixto IV.
Pontif. Max.

BARTHOLOMÆUS POLITIANUS.

Bartholomæum Politianum ab Epistolis Apostolicis fuisse quum Eugenio IV. * tum Martino V. Pontificibus, narrat Vir Cl. Dominicus Georgius in *disquisitione* illa sua erudita, ac non ineleganti *de Nicolai V. Pont. Max. erga litteras, & litteratos viros patrocinio*:

* Martino V. non autem Eugenio IV. operam præstitisse Bartholomæus videtur ex pluribus rationibus, quas singillatim referre hujus nec loci est, nec instituti.

nio: & Poetam fuiſſe conſtat vel ex eo etiam, quod ſupra commemoravimus de Antonio Luſco. De hoc homine licet perhonorificam mentionem faciant tum Poggius, qui eum ſuo illo Dialogo *de Avaritia* inducit cum hominibus doctis colloquentem, tum etiam Franciſcus Barbarus in Epiſtola, quam ad Poggium ipſum conſcripſit; peſſime tamen & ſentit, & loquitur Leonardus Arretinus, malevolentia magis, an veritate permotus, non facile dixerim. Sed Bartholomæum vanum hominem & ventoſum fuiſſe, ex eo intelligitur, quod magnificentiſſimum e marmore Sepulchrum in Cathedrali Templo Montis Politiani ſibi Donatelli opera affabre eleganterque faciendum curavit. Vani autem homines, & arrogantes plerumque imperiti deprehenduntur. Juvat Epiſtolam Leonardi Arretini ad Poggium conſcriptam afferre, qua Bartholomæi, ejuſque ſimilium vanitatem atque inſaniam ſalſe irridet;

LEONARDUS POGGIO S.

RES protinus riſu digna mihi nuper occurrit, dum iter facio in agrum Arretinum, Oſtendi enim boves ploſtra trahentes, anhelanteſque. In ploſtris columnæ vehebantur marmoreæ, & ſtatuæ duæ non ſatis fabrefactæ, baſeſque, & arculi, & hyperſtilia, caſuque in ſaltus difficiles conjecta ploſtra expediri non poterant. Circumſtabant vero redemtores cum dolabris, purgantes iter, adjuvanteſque. Tunc ego novitatem rei admiratus, neque enim ploſtra per eos ſaltus traduci, neque marmora importari conſueverant, acceſſi propius, & percontatus ſum, quid rei eſſet,

ſet,

set, & quonam illa tam molesta opera deferrentur. Tunc unus ex redemtoribus me aspiciens, ac simul manu sudorem a facie abstergens, pertæsus credo laboris, ac secum ipse indignans, Dii perdant, inquit, poetas omnes, & qui fuerunt unquam, & qui futuri sunt. Egoque hoc ejus responsum audiens, Quid tibi cum poetis est, inquam, aut qua tandem in re tibi molesti fuere? In eo, inquit, quod hic poeta, qui nuper defunctus est, stultus nempe homo atque ventosus, sepulchrum sibi fieri marmoreum imperavit. Eaque de causa marmora hæc Montepolitianum deferuntur, sed credo perduci nunquam poterunt difficultate viarum. Et ego volens clarius intelligere, Quid ais, inquam? an Montepolitiani poeta quisquam decessit? Non ibi, inquit, sed Romæ: sepulchrum tamen in patria faciendum sibi testamento providit. Atque est imago ejus, quam cernis, altera vero parentis, quam juxta se collocari jussit. Tum ego de patria, & de obitu conjecturam faciens, audieram enim nuper quendam Bartholomæum Montepolitianensem Romæ interisse, pecuniarumque nescio quid reliquisse, interrogavi redemtorem, num de eo loqueretur, illeque hunc ipsum esse annuit. At enim, inquam, cur tu poetis ob hunc asinum maledicis? An tu illum poetam credis fuisse, qui nullam neque scientiam, neque doctrinam cognovit, stultitia vero, ac vanitate omnes omnino homines superavit? Non novi, inquit, illum, dum vixit, nec eum nominari unquam audivi, sed oppidani quidem sui poetam illum arbitrantur, &, si paulo plus pecuniarum reliquisset, Deum puta-

tarent. Quod si non fuit ille poeta, nec maledictum poetis velim. Atque ego tunc abiens considerare mecum cœpi redemtoris verba, qui stultum hominem atque ventosum dixerat eum, qui Romæ decedens marmoreum in patria sibi fieri sepulchrum imperasset. Re enim vera sic est: nemo qui gloriæ suæ confidat, de sepulchro sibi faciundo unquam cogitavit. Operum enim laudabilium fama, & claritate nominis contentus, satis ob hoc ipsum posteritati se se putat commendatum. Quia enim sepulchrum, quod muta res est, juvare sapientem potest? Aut quid vilius, quam sepulchrum memorari, vitam sileri? Tres eminentissimi imperatores variis saculis fuisse referuntur, Cyrus, Alexander, Cæsar. Quorum Cyrus qui fuit antiquior nedum sepulchrum insigne appetierit, sed testamento mandavit nullum sibi sepulchrum constitui, sed terra humari, affirmans terram flores producere, & segetes, & arbores amœnissimas pretiosissimasque ejicere, nec ullam generosiorem sepulchri materiam reperiri posse. Itaque nuda in humo sepeliri corpus suum jubet sine ullo penitus marmore, aut structuræ monumento. Recte quidem: virtus enim illius, & facta egregia perennem sui memoriam pollicebantur futuram. Bella quippe maxima singulari fortitudine, industriaque confecerat, victorias plurimas gloriosissime reportarat, imperium Medis ademtum in Persas transtulerat. Ipse vero mirabili sapientia præditus, vitaque, & moribus, ut ita dixerim, civilissimus, optimis legibus, sanctissima disciplina partum a se imperium communierat, ex quo Cambysæ, & Ochi, &

Xer-

Xersæ, & Artaxersæ, & Darii longissima, ac potentissima successione regnaverunt. Hic ergo tantus, & talis imperator humi sepeliri voluit, marmor autem Parium, aut Numidicum lapidem non quæsivit. Eadem in Cæsare, & Alexandro mens fuit, quorum neutrum de sepulchro sibi faciendo videmus cogitasse. Facio contumeliam summis viris, quos in reprehendendo hoc vilissimo homine testes adduco. Sed tamen si excellentissimi viri hanc vanitatem ambitiosam cum laude vitarunt, quantum in hac fæce hominis hæc est superbia deridenda? Tu marmora tibi ex longinquo portari, tu sepulchrum fieri, & statuas tibi ipsi collocari testamento jubes? Quo merito quæso? An scientia, quæ in te nulla fuit? An literis, quarum vix quatuor tenebas? An vita, & moribus, qui levissimus, ac singulari stulticia plenus nihil consilio, cuncta vero temeritate vesaniaque prosequebare? Verum enim si non mores, at genus illum honestat, dignumque & statua & sepulchro marmoreo facit, natum ex Patre mercatore circumforaneo, avia obstetrice, matre fanatica. An propter pecunias sub terra absconditas statua dignum te ipsum censebas? Hoc suberat unum videlicet. Verumtamen has ipsas pecunias Pontifex post mortem tuam, cum illæ tandem in lucem venissent, ut sibi a te furto subtractas reposcit. Quid scribes quæso in sepulchro? quæ acta? quas res gestas insigniri facies? An pater tuus ut asinos, & merces circum nundinas agebat? An avia, ut editos in lucem partus tollebat, puerperis ancillabatur? An mater, ut in fanis soluto crine volitabat? An tu ipse, ut pe-

cu-

cunias furtim cumulabas? An Pontifex, ut eas pecunias reposcebat? Hac est summa rerum tuarum, hæc est gloria tua atque tuorum, quæ talia sunt, ut si modo quicquam saperes, si non, ut in omni vita, sic etiam moriens stulticia ac temeritate delatus esses; testamento cavisses, ut tu olim pecunias, sic etiam te tui sub terram absconderent, ne risus, & querelæ materiam hæc tua sepulchri vanitas, & ambitio exhiberet.

FLAVIUS BLONDUS.

FLavius Blondus Foroliviensis *Secretarius* fuit Eugenii Quarti, qui una cum Episcopo Recinatensi eum legavit primum ad Florentinos, deinde ad Venetos, qui Flavium (uti narrat ipse) civitate donarunt. Eodem munere functus est Nicolao V., Callixto III., & Pio II. Pontificibus. Uxorem duxit Paulam Antonii Michelinii, sive Muccolinii filiam, de qua perhonorificam mentionem fecit Campanus hoc Epigrammate, sive Epitaphio:

Hic situs est Blondus, Priami cui forma, Catonis
Vita, Titi Livj fama, decusque fuit.
Conjuncta est sancto Conjux pia Paula marito
Fœminei sexus gloria, ut ille virum.

Sed id impedimento homini fuit, quominus ad summos in Aula Romana honores, dignitatesque pervenerit. Romæ mortuus est, ac in Aracælitano Templo sepultus cum hac inscriptione, quæ Campani fuisse dicitur:

Blondo Flavio Foroliviensi
Historico celeberrimo
Multorum Pontt. Rom.
h. e Eug. IV. Nicolai V. Callixti III. Pii II.
Secretario Fidelissimo
Blondi quinque Filii
Patri Benemerenti unanimes posuere
Vixit annos LXXV. *obiit pridie Non. Jun.*
An Sal. Christianæ MCCCCLXIII.
Pio Pont. Max. sui studii que favente.

Huic inscriptioni Schraderus hosce addit versiculos:

Fui non sum: estis non eritis: nemo immortalis.
Moriens ut viveret, vixit ut moriturus.

Scripsit *Romæ triumphantis lib.* X. *Romæ instauratæ lib.* III. *Le Origine, & gestis Venetorum: Italiam illustratam. Historiar. ab inclinatione Romani Imperii ad annum* MCCCCXI. *decades* III. *lib.* XXXI. In Bibliotheca Vaticana asservantur ejus Scripta *de expeditione in Turcas ad Alphonsum Regem, & de eadem ad Ducem Genuæ.* Brietius, aliique non pauci hominem accusant, *quod sollicitior scriptionis fuerit, quam veritatis, & studuerit plura dicere, quam veriora.* P. Mabillonius ait, Flavium hunc Eugenio Quarto auctorem fuisse, ut epistolis Pontificiis a *Christi Incarnatione* inscriberet. Quæ opinio fuit Pauli Middelburgii Episcopi Forosempronienfis, & Ciacconii, ac Papebrochii, aliorumque. Non videtur prætereundum, a Blondo repertum fuisse Ciceronis librum *de Claris Oratoribus*, ut ipse in *Italiá illustratâ* me-

memoriæ prodidit. Ejus scripta sæpius typis edita fuerunt, ac præsertim *Basileæ* an. MDXXXI.

MAFFÆUS VEGIUS.

MAffæus Vegius Laudensis natus est an. sal. MCCCCVI., sive, ut nonnullis videtur, MCCCCVII. Ab Eugenio Quarto *Magister Brevium*, a Martino autem Quinto *Datarius*, *& Basilicæ Vaticanæ Canonicus* an. MCCCCXLIII. factus est. Ita Volaterranus Lib. XXI. pag. 490. nec non Bollandistæ *Præfat.-lib. Maffæi Vegii de præstantia Basilica Vaticanæ*. Orator, & Poeta fuit maxime insignis, & Nicolao V. apprime carus, cujus Nicolai Epitaphium scripsisse Vegium narrat Torrigius *Grotte Vaticane*; in quo res a Nicolao Quinto Pontifice gestæ fere omnes describuntur:

Hic sita sunt quinti Nicolai antistitis ossa,
Aurea qui dederat sæcula, Roma, tibi.
Consilio illustris, virtute illustrior omni,
Excoluit doctos doctior ipse viros.
Abstulit errorem, quo schisma infecerat orbem:
Restituit mores, mœnia, Templa, Domos.
Tum Bernardino statuit sua sacra Senensi,
Sancta Jubilei tempora dum celebrat.
Cinxit honore caput Federici, conjugis aureo,
Res Italas, icto fœdere, composuit.
Attica Romanæ complura volumina linguæ
Prodidit: en tumulo fundite thura sacro.

Sripsit *de ultimis Æneæ gestis, & obitu: Antoniados lib.* IV. *versibus heroicis: de morte A-*

ſtyanactis librum unum. Philaletben, ſeu Dialogum de veritatis amore. De Puerorum inſtitutione lib. VI. *De vita, & obitu Beatæ Monicæ. Vitam S. Nicolai Tolentinatis: De fælicitate, & miſeria Palinuri, & Charonis: Vitam B. Petri Cæleſtini: De rebus antiquis memorabilibus Baſilicæ S. Petri Romæ. Vitam S. Bernardini Senenſis.*

Dicitur fuiſſe maxime pius erga memoriam S. Auguſtini, in cujus Romano Templo Sacellum exædificandum curavit, quod B. Monicæ S. Auguſtini Parenti dicatum voluit, cujus Sanctiſſimæ Fœminæ ibi Reliquias ex Hoſtia Romam uſque translatas pie diligenterque collocavit, & Chriſtianorum venerationi expoſuit. Mortuus eſt an. ſal. MCCCCLVIII. uti Niceronio videtur.

JOANNES AURISPA.

JOannes Auriſpa Siculus *primò Eugenii IV. mox apud Nicolaum Pontificem Secretarius in honore fuit. Ingentem librorum tum Græcorum, tum Latinorum numerum congeſſit. Epiſtolarum librum edidit. Opuſcula nonnulla Luciani, ac Xenophontis librum, qui Oeconomicus inſcribitur, in latinum traduxit, quem Cicero adoleſcens, ut ſcriptum reliquit, e græco in latinum converterat.* Ita Facius. Hieroclem in Pythagoræ carmina, quæ aurea appellant, latinum reddidit. Philelphi amiciſſimus fuit. Laurentius Valla, & Antonius Panormita eum collaudant. At Giraldus *Dialog.* I. *de Poetis ſuo-*

suorum temporum ita de Aurispa loquitur: *Joannes Aurispa Siculus orator in aliquo Poetarum ordine reponi potest, quippe qui græce, & latine probe doctus esset. Carmina tamen ejus, quæ ipse legi, nescio quid Sicularum gerrarum habere videntur.* Fuit enim eo tempore, quo nondum exquisitæ literæ in lucem redierant. Mortuus Romæ est an. sal. MCCCCLIX. annum prope nonagesimum agens. Quod constat ex L. II. Commentariorum Pii Secundi, qui Commentarii Joannis Gobelinii nomen præferunt.

NICOLAUS PEROTTUS.

NIcolaus Perottus Saxoferratensis latinis ac græcis literis eruditus fuit. Hunc *Secretarium Apostolicum* fuisse, quum multa alia, tum illud declarat, quod in Brevi Callixti III. legitur, quod datum est an. sal. MCCCCLVI. *Cum necesse sit Nos interdum pro nostris, & Romanæ Ecclesiæ negotiis mittere ad diversas mundi partes dilectum filium nobilem virum Nicolaum Perottum, Poetam laureatum, Secretarium nostrum, & nostri Sacri Lateranensis Palatii Comitem &c.*

Cardinalis Bessarionis amicissimus fuit, sed illi intempestivo officio suo Pontificatum ademisse dicitur. Nam ejus in Conclavi post Pauli II. obitum contubernalis tres Cardinales, qui in Comitiis multum auctoritate pollebant, quique sua Bessarioni suffragia deferebant, exclusit, causatus ab eo studiis intento admitti neminem. Illi subirati discedunt, studiaque sua

omnia deferunt ad Cardinalem Franciscum a Ruvere eligendum, cui Sixto IV. nomen inditum fuit. Adeo vel parvæ res magnum in Comitiis momentum afferunt ad repentinam voluntatum inclinationem! Sed Perottus an. sal. 1458. Archiepiscopus Sipontinus creatus, obiit anno sal. 1480. Extat Epitaphium, quod Gentili suo Torquatus Perottus ponendum curavit, quo Epitaphio Nicolai vita fere omnis continetur.

D. O. M.

Nicolao Perotto Saxoferratensi, ob reconditam eruditionem, linguarum principum peritiam, singularemque facundiam, nec non illustria rei litterariæ monumenta, Bessarioni in primis Card. Sapientiss. eximie charo, tum Friderico III. Imper. Augusto a consiliis, & ab eodem Poetica laurea Bononiæ ornato, inde Eugenio IV., Nicolao V., Callixto III., & Pio II. Max. Pont. præcipue ob egregie in Orientali Ecclesia cum Romana tempore Ferrariensis, & Florentini Concilii unienda navatam operam longe charissimo, Umbriæ Tusciæque Præsidi, de Christiana Republica, universa Italia, patriaque optime merito, cujus ista majoribus, tyrannide extincta, libertatem ac felicitatem devet, Torquatus Perottus, Urbani PP. VIII. a cubiculo intimo, Gentili suo L. M. P. anno Domini CIↃIↃCXXIII.

Quæ scripsit, quæque e græco in latinum vertit, affert idem Facius, nec non Fabricius, Niceronius, Jovius, Ughellius, &c.

AN-

ANDREAS FLOCCUS.

ANdreas Floccus Canonicus Florentinus Eugenio IV. fuit a *Secretis*. Hunc hominem mirum in modum commendat Blondus cum in *Epistola ad Leonardum Arretinum*, tum in ea parte *Italiæ Illustratæ*, qua præclari Florentiæ viri memorantur. Testatur enim, Floccum fuisse eloquentia optimum, editoque de Magistratibus opere patriam exornasse. Qui liber falso L. Fenestellæ auctoris veteris nomine divulgatus, & ab ipso ad Brandam Card. Placentinum inscriptus diu fuit in manibus hominum, neque tanti erroris prolata, neque profligata falsitas; Lucius enim Fenestella, qui Tiberio Imperatore vixit, qui nam potuit Episcoporum, & Archiepiscoporum mentionem facere, qui nam librum suum inscribere Card. Placentino Brandæ, qui Joanne XXII., & Eugenio IV. floruit? Tanta erat eorum temporum caligo!

HORATIUS ROMANUS.

DE Horatio Romano mentionem fecit Pius Secundus *Europæ c.* LVIII., p. 459. *In Homeri vero Poemate, quod heroico carmine latinum fieri magnopere cupiebat*, (Nicolaus) *quum plurimi ei morem gerere conarentur, unus tantum inventus est, qui acri ejus judicio satisfaceret, Horatius Romanus.* Scribatum Apostolicum *ea de re consequutus, magnisque pollicita-*

tionibus illectus, aliadem aggressus, nonnullos ex ea libros latinos fecit, dignos, quos nostra miraretur, prisca non improbasset aetas. Scripsit etiam versibus Horatius hic de Conjuratione Porcarii & Portii in Nicolaum V. libros duos; qua de re Zenus videndus.

RANUCCIUS ARRETINUS.

Ranuccius, sive Rinuccius, sive Renuccius, sive Ranutius Castilionensis, quem Joannes Albertus Fabricius *Rimitium* vocat (longe alius ab Alamano Rinuccinio nobilissimo, doctissimoque cive Florentino, cujus multa extant opera) Castilione ortus est Oppido Arretinæ Ditionis: Laurentii Vallæ Præceptor fuit; atque inter Apostolicos Nicolai Pontificis *Secretarios* adlectus. Quod ex eodem Valla facile intelligitur, qui adversus Poggium quum scriberet, hæc ait: *Et Tu* (Poggi) *me Secretariis invisum dicere audes? quorum duo, Aurispa, atque* Rinuccius, *ut suo in græcis literis discipulo gloriantur, ita ego invicem Præceptoribus?* Æsopi fabulas, & Plutarchi opusculum, *Quid Principem deceat*, latine vertit, & illas quidem Cardinali Tit. S. Susannæ, qui postea Pontificatum adeptus, Nicolaus Quintus appellatus est, hoc Cardinali Condulmerio inscripsit, qui deinde Eugenius IV. fuit. Hujus mentionem facit vir cl. Dominicus Georgius in sua illa de Nicolao V. *Disquisitione* eruditionis plenissima.

JAN-

JANNOTIUS MANETTUS.

JAnnotius Manetti Florentiæ natus die quinta Junii 1396. ex pervetusta nobilique Familia, absolutis Philosophiæ, Theologiæ, ac Matheseos studiis, græcæ linguæ operam dedit, in qua deinde mirum in modum excelluit. Philosophiæ Doctor discipulum habuit Jacobum Ammannatum nostrum, qui postea creatus est Cardinalis; tum inter Senatores cooptatus honorificentiora Patriæ munera domi forisque obiit. Cum Romam venisset, quo tempore Fridericus coronatus est a Nicolao V. creatus est Eques, quem honorem, antea sibi ab Alfonso Neapolis Rege delatum, recusaverat. Ne mille Floren. aureorum multam persolveret, sibi irrogatam, quod cum nonnullis Principibus, apud quos legationem obierat, amicitiam contraxisset, sponte patria exulavit. Nicolao V. fuit a *Secretis* annuo 600. num. aureorum stipendio, tum Callixto III. ac Pio II. Hic non est silentio prætereundum quod Dominicus Georgius, supra quem memoravimus, de Jannotio Manetto narrat: *Manettus in reditu a legatione Neapolitana, quam pro Florentinorum Republica obierat, Nicolaum Pontificem adiit, a quo inscius omnino in eorum ordine principe loco lectus est, quibus arcana traduntur, & quos vulgo Apostolicos Secretarios appellabant, & liberaliter eidem Manetto ad se accedenti Pontificium ejus muneris diploma tradidit: qui a Florentinis licentia impetrata, ad Ni-*

Nicolaum Pontificem venit, a quo tanti fuit, ut sexcentos aureos quotannis, præter eam pecuniæ summam, quam ex præfectura secretorum capiebat, ex Apostolico ærario ei assignarit. Denique cum apud Alfonsum Regem sese recepisset Neapoli, diem extremum obiit die 26. Octobris ann. 1456. sed ejus ossa Florentiam in Ædem S. Spiritus translata sunt. Præter græcas, fuit etiam latinis hebraicisque literis eruditus, scripsitque non pauca, quæ refert Naldus in ejus vita, & Bartholomæus Facius, aliique.

PETRUS NUCETANUS.

HUnc Petrum Nucetanum, sive Noxetanum *Secretarium Apostolicum* fuisse testatur Philelphus sua Epistola, quæ inscribitur *Petro Nucetano Apostolico Secretario*; Quam Epistolam hisce verbis concludit: *Vale, & me Sanctissimo Domino nostro commenda.* Hunc Pius Secundus in Commentar. lib. 1. pag. 111. testatur sibi favisse, ut Nicolai S. Crucis Cardinalis, & Apostolicæ Sedis Legati *Secretarius* fieret.

PETRUS CANDIDUS DECEMBRIUS.

PEtrus Candidus Decembrius Oberti Filius, Ticini natus an. MCCCLXXXIX. Magister Brevium fuit Nicolai Quinti, ad quem confugerat, quum Mediolani adversa fortuna uteretur. Ejusdem Nicolai Pontificis jussu Appiani Alexandrini Libros latinos ab eo factos fuisse

se

se accepimus, quorum reliquos V. de Bellis Civilibus mortuo Nicolao absolvit, & Alphonso Regi Neapolit., ad quem se contulerat, dicavit. Vertit etiam e Græco *Platonis de Reрub. libros* x. *ejusdem de amicitia librum unum:* denique *libros supra* CXXVII. *vulgaribus exceptis* conscripsit, uti in Epitaphio ejus legitur. Horum plerique perierunt. Mortuus est Mediolani an. sal. MCCCCLXXVII. quum annos vixisset octo & septuaginta. De hoc loquuntur Volaterranus, Bartholomæus Facius, Cotta in Musæo Novariensi, Mabillonius, Muratorius, Dominicus Georgius &c.

PIUS SECUNDUS PONT.

ÆNeas Sylvius Piccolomineus, qui Pontifex factus Pius Secundus dictus est, natus est ann. sal. 1405. in Corsiniano loco ignobili agri Senensis, qui locus deinceps, tanti Pontificis ortu nobilitatus, a Pio accepto nomine, *Pientia* dicitur, & est civitas. *Secretarius trium Pontificum* (ut ait Bartholomæus Facius) *Felicis* (Pseudo-Pontificis), *Eugenii, ac deinde Nicolai, a Friderico Imperatore Romanorum in Secretarium, & Consiliarium receptus est.* Callixtus Tertius eum Cardinalem creavit ann. sal. 1456. quo facto magnam ab Alphonso Aragoniæ Rege, ab Imperatore, ceterisque Germaniæ Principibus gratiam inivit. Pontifex eligitur anno 1458. statimque de bello Turcis inferendo cogitat. Huic tanto bello, quod magnis impensis, magnisque labori-

bus

bus comparararat, ut interesset ipse, & præesset, Anconam profectus, ibi diem supremum obiit ann. 1464. Poeta, Orator, Philosophus, Theologus insignis fuit, multaque scripsit, quæ ab eruditis hominibus collaudantur; videlicet *Epigrammata nonnulla: de potestate Concilii Basiliensis: de ortu Nili: de studio venandi: de Fato: de Præsentia Dei: de Hæresi Bohemorum: de Institutione artis Grammaticæ: Historiam Bohemicam: Orationes triginta & duas ad Reges & Principes: de Clade Universalis Ecclesiæ: de Erratis Basileensium: de Defensione Poetices: de dictis, & factis clarorum Virorum ad Alphonsum Regem *: Cosmographiam: de pravis Mulieribus: remedium amoris: Epistolas &c.* Floridus tamen Sabinus ita de eo scriptum reliquit: *In historia est nonnullis ex recentioribus ordine postponendus, orator argutus, vehemens, candidus, Poeta itidem non vulgaris.* Pii Secundi vitam conscripsit Joannes Antonius Campanus, quæ edita est *Tom.* III. *Rerum Italicarum part.* 2. *pag.* 970.

JOANNES TORTELLIUS.

JOannes Tortellius, patria Arretinus, ob præclaram doctrinam Romam evocatus an. MCDXLV. inter *Subdiaconos* Ecclesiæ Romanæ ab Eugenio IV., mox inter Apostolicos Cubicu-

* Liber de dictis & factis Alphonsi Regis memorabilibus fuerat ab Antonio Panormita conscriptus: Illum autem Æneas Sylvius commentariis illustravit.

cularios, ac *Secretarios* a Nicolao Pontifice adſcitus eſt: quem etiam Æneas Sylvius *de Europa cap.* 8. ait conſiliorum, & curarum Pontificis omnium participem fuiſſe. Scripſit *Commentariorum de Orthographia dictionum e Græcis tractarum opus*, ac Nicolao Pont. Max. dedicavit; quod opus prodiit primum Venetiis an. MCDLXXI. Alia etiam ſcripſit, de quibus Fabricius conſulendus. Laurentius Valla ſumma cum laude hominem appellat *Præfat.* qua ad ipſum mittit *Libros Elegantiarum*. Habuit ab eodem Pont. Nicolao, cui apprime carus fuit, Præfecturam Bibliothecæ Vaticanæ. Philelphus hujus rei teſtis eſt ea epiſtola, quæ ſcripta eſt ad Leodrinum Cribellium, & in qua dolet eandem Bibliothecam antea fuiſſe fœdum in modum expilatam. Vide Volaterranum *lib.* 21. *Anthrop.* & Philelphum *in epiſt.*

FRANCISCUS PHILELPHUS.

FRanciſcus Philelphus Tolentinas, Joannis Chryſoloræ Byzantini auditor, & gener, & græcarum, latinarumque literarum apud Venetos, Florentinos, Senenſes, Bononienſes, Mediolanenſes doctor eximius, quum Romam forte veniſſet, Neapolim profecturus, neque Pontificem adire cogitaret, a Petro Nocetano ad Nicolaum V. adducitur; a quo benigne exceptus, aureis nummis quingentis donatus eſt, & in *Secretariorum* Apoſtolicorum numerum honoris cauſſa relatus. Extat ejus epiſtola ad Nicolaum Arcimboldum data Idib. Septemb. MCDLIII. hujus rei teſtis: *Ha-*

Hasce ad Te literas dedi ex Tolentino, unde post octiduum arripiam ad vos iter tum equestribus insignibus, & poetica laurea ornatus, tum Secretarius Apostolicus &c.

Huic Philelpho promiserat Nicolaus *ædes in Urbe Roma pulcherrimas, latissimum prædium in Agro Romano, quod satis esset ad opipare, & pro dignitate alendam universam familiam, & præterea aureorum nummum decem millia, quæ deponerentur apud quem Philelphus ex omnibus mensariorum delegisset, quæ illi continuo numerarentur, si duo illa carmina Homeri, Iliada, atque Ulysseam latine reddidisset.* At nunc immanes hi sumtus (si Deo placet) in musicorum greges fiunt, atque oblectamenta otiosorum. Verumtamen quum Philelphus, quæcumque tandem ejus rei caussa fuerit, opibus desereretur, a Sixto IV. docendi munere, annuaque ob id stipe auctus fuit an. MCDLXXV. vix non octogenarius: quapropter ludum exercuit, ubi Tusculanas Ciceronis quæstiones dicitur explicasse, auditoremque habuisse Alexandrum ab Alexandro Neapolitanum. Obiit autem Florentiæ an. MCDLXXXI. prid. Calend. Sextil. annos natus LXXXIII. Ejus scripta ab Zeno, aliisque enumerata fuerunt.

LAURENTIUS VALLA.

De Laurentio Valla, qui Romæ natus an. MCDXV. origine Placentinus fuit, hoc accepimus ex Codice quodam Vaticano, qui a Dominico Georgio, quem sæpe antea commemo-

mo-

moravimus, in appendice Monumentorum ad vitam Nicolai Quinti affertur: *Illum fuisse inter Grammaticos ætatis suæ exquisitum, & diligentem adeo, ut unicus fere puritatis latinæ observator vellet censeri: multis in Urbibus Italiæ Rhetoricam, ac Grammaticam docuisse, Genuæ, Papiæ, Mediolani, Neapoli, ubi propter contentionem ortam inter ipsum, & Bartholomæum Fatium Spediensem, qui Antonii Panormitæ fovebatur patrocinio, ab Alphonso Aragonum, ac Siculorum Rege, diutius esse non potuisse; ob quam æmulationem Romam ad Nicolaum Pontificem accessisse, a quo quum propter alia, tum propter Elegantiarum, quem scripsit, librum honeste exceptum fuisse, & muneribus donatum amplis, inter quæ officio* SCRIPTORIÆ APOSTOLICÆ. *Ob Thucydidem ex græco latinum factum a Nicolao quingentos aureos accepisse: Fuisse et cum omnibus non agrestem, neque inhumanam contentionem, præterquam cum Poggio Florentino, in quem Invectivam rescripsisse: Summe omnium Quintilianum amavisse, eumque etiam Ciceroni anteposuisse* (vides dignam Grammatico sententiam!) *Canonicum factum esse Ecclesiæ Lateranensis. Denique studiosum fuisse, & linguæ veteris latinæ defensorem.* Ita Jo. Andreas Vigerinus Abbas in eodem Cod. Hunc tamen non ita eleganter scripsisse testantur non pauci; & Jovius ait, res Ferdinandi ab eo perinde esse conscriptas, quasi auctor non fuisset libri Elegantiarum. De eo mortuo dictum est, quod apud inferos jam amplius

Non

Non audet Pluto verba latina loqui.

Hujus ſcripta in lucem omnia prodierunt Baſileæ apud Henricum Petri ann. MDXL. & MDXLIII. in fol. Eorum Index habetur in Fabricii Biblioth. med. & infim. latinitat. lib. XX. pag. CCLXXXI.

GEORGIUS TRAPEZUNTIUS.

GEorgium Trapezuntium in Cretâ Inſulâ natum in *Secretariorum Apoſtolicorum* numerum a Nicolao V. relatum fuiſſe narrant Æneas Sylvius *de Europa cap.* 58. & Volaterranus *Commentar. lib.* 21. *pag.* 497. Ab Eugenio autem Quarto an. MCDXXX. relatum, & ab Nicolao V. retentum ſcripſit Platina. Audivit Victorinum Feltrenſem: Mox græcas literas Venetiis, Patavii, ac Vicentiæ tradidit. Multa e græco in latinum vertit, eodem jubente Pontifice, cui omnino quidem non ſatisfecit. Quæ de liberalitate Nicolai erga Georgium commemorantur in Dialogo, ea ſcripta reliquit Angelus Colotius in quibuſdam Adverſariis, quæ in Vaticana Bibliotheca adſervantur. Ceterum Franciſcus Barbarus hominem magnopere collaudat: non ita plerique alii. At Leo Allatius *in Diatriba de Georgiis* pag. 375. de latinis illius verſionibus ſermonem inſtituens quid in his laude, quidve reprehenſione dignum ſit, docet. Ariſtotelis eximius ſectator, Platoni mirificè iraſcebatur; quem poſteà

ea mutato consilio summis extulit laudibus. Nemini autem dubium est, quin Trapezuntius homo fuerit natura importunus, difficilis, & iracundus adeo, ut palam in Theatro Pompeii, in conventu omnium Collegarum, Poggium verberibus a Georgio male multatum narret Jovius. Quod certe Laurentius Valla in sua Invectiva Poggio exprobravit. Quare non mirum est, si Pontifice a se abalienato, ad Alphonsum Regem Neapolim An. MCDLIII. se contulerit; unde rediens, & Pontifici a Philelpho reconciliatus, Romæ tandem decessit an. sal. MCCCCLXXXIV., quum vixisset annos ferè XC. sepultusque est in Templo S. Mariæ ad Minervam. Christianus Fridericus Boernerius in libello satis erudito, quem *de doctis hominibus Græcis in Italia literarum Græcarum instauratoribus* Lipsiæ edidit anno MDCCL. hos Epitaphii ejus versiculos affert:

Hac urna Trapezuntii quiescunt
Georgii ossa, parum diis amici,
Quod acri, & nimium procaci lingua
Platonem, Superis parem, petivit.

Qui tamen versiculi non extant in sepulchro, cujus inscriptionem præter nomen Trapezuntii, totam esse vetustate attritam Leo Allatius narrat.

JACOBUS AMMANNATUS LUCENSIS CARD.

JAcobus Ammannatus, Cardinalis Papiensis dictus, in Villa, quæ Basilica dicitur, oppido

K haud

haud ignobili Lucensis Ditionis, natus obscuris parentibus, sed *mente bona* præditus Romam venit Nicolao V. Pont. Et Card. Firmano primum fuit ab epistolis. Deinde factus est *Secretarius Apostolicus* a Callixto III., sed aut nullo, aut tam tenui stipendio, ut ipse ante Pontificatum Pii Secundi in sua quadam epistola fateatur, vix, & ne vix quidem habuisse, *unde tonderetur*. A Pio Secundo Pontifice summa omnia est assequutus, quæ in Dialogo commemorantur; idque quatuor annorum spatio. Multa scripsit tum ligata, tum soluta oratione: Commentarios præsertim rerum sui temporis, & Epistolas vere plenas Senatoriæ cujusdam & libertatis, & dignitatis. De Commentariis autem satis sit judicium Jacobi Minutoli Lucensis perdocti hominis afferre, quod in epistola quadam sua ad Jacobum Volaterranum pronunciavit: *Fremant omnes licet, dicam quod sentio, unum fuisse Papiensem nostra ætate, a quo historia scribi, & potuerit, & debuerit.* Paucis annis, antequam moreretur, etiam Episcopatu Lucensi auctus est. Vixit annos LVII. & mortuus est in oppido Laurento apud Vulsinienses die x. Sept. anno sal. 1499. quod ab ignobili Piceno medico potionem acceperat, quæ illum occidit miserandum in modum. Sepultus est Romæ in Templo S. Augustini. Nunc in atrio Cœnobii Augustiniani sepulchrum ejus extat, quo sepulchro hæc incisa inscriptio legitur:

Luca ortu, Sena lege fuit mihi Patria; nomen
Dum vixi Jacobus, mens bona pro genere.

Pa-

Papa Pius sedem Papiensem detulit, idem
Cardineo ornavit munere, gente, domo.
Vivite qui legitis: cœlestia quærite: nostra
Hæc tandem in cineres gloria tota redit.

Cardinalis testamento caverat, ut prope sepulchrum Pii Pontificis sepeliretur. Hoc testamentum Sixtus IV. irritum fecit, jussitque Cardinalem in Augustiniano Templo, ut diximus, sepeliri. Quare deminutum Epigramma fuit, abrasique hi duo versiculi, qui ante extremum Distichon ponendi erant:

Quem colui vivens non linquo mortuus: Hic sum,
Et prope sancta Patris Filius ossa cubo.

Prope sepulchrum Jacobi Cardin. extat eodem in atrio alterum, quod ille Matri suæ ponendum curavit, & in quo versiculos hosce suos incidi jussit:

Viva Deo, defuncta mihi, Constantia Mater,
Quos posui hic elegos, quæ monumenta Tibi,
Ultima sunt Fili Papiensis munera: Testor,
Defunctæ, & vivæ, quod potui, id tribui.

Vitam Cardinalis Ammannati conscripsit Jacobus Volaterranus, qui ei fuit ab epistolis: nec non V. Cl. Sebastianus Pauli Lucensis Congreg. Matris Dei Clericus Regularis *in Disquisitione historica de Patria, & rebus gestis Jacobi Ammannati*, quæ etrusco sermone conscripta Lucæ prodiit an. sal. MDCCXXII.

GASPAR VERONENSIS.

Gaspar Veronensis a Callixto Tertio in *Secretariorum Apostolicorum* ordinem adscitus est; id quod ipse testatur in vita Pauli Secundi ab eodem conscripta. Muratorius vir sane ipse clarus *in Præf. in vitam ejusdem Pontificis p. 2. t. 3. Rerum Italic. pagin.* 1023. Gasparem appellat *virum obscuri nominis*. At contra doctissimus vir Scipio Maffæus *lib.* 3. *de Scriptoribus Veronensibus* hominem magnopere collaudat. Præceptor fuit Rhoderici Cardinalis Borgiæ, ejus, qui postea Pontifex fuit, de cujus minus grato erga se animo conqueritur. Sic enim scriptum reliquit: *Hic* (scilicet Cardinalis Borgia) *in benemeritos gratissimus pernoscitur, præter quam Gasparem Veronensem, quem sæpe negligere videtur, & parvi facere, qua in re non parum a recta via recedit.* At Cardinalem Sapiensem nostrum laudat, quod curaverit, ut Pius Secundus, apud quem ille auctoritate, & gratia valebat plurimum, sibi publice docendi munus daret, annuo centum nummum aureorum stipendio decreto. Ait enim: *Gratissimus in amicos veteres Jacobus Ammannatus, præsertim in Gasparem Veronensem, cum ambo Callixti Tertii Secretarii fuissent, & summa benevolentia juncti, curavit, ut publice conductus Gaspar aureos centum quotannis assequeretur, tum Poetas, tum Oratores lectitans.* In Bibliotheca Casanatensi adservatur commentarius Gasparis in Juvenalem.

JA-

JACOBUS PASSARELLIUS.

JAcobum Passarellium *Secretarium Apostolicum* fuisse ex eo constat, quod Jacobus Volaterranus *in Diario Romano* ad annum 1479. pag. 101. scriptum reliquit: *Ad sextum & vicesimum diem Novembris cooptatus sum in ordinem Secretariorum Pontificis, & Apostolicæ Sedis de numero senario participantium in loco Jacobi Cæsenatis, qui ad Aimolensem Ecclesiam, licet absens, designatus fuit.* Innocentius Octavus Jacobum ad Henricum Septimum Britanniæ Regem Legatum misit, a quo tantam gratiam iniit, ut *Consiliarius Regius* factus fuerit, & regiæ gentis insignibus ornatus: Quæ caussa fuit, quamobrem ille hosce sepulchro suo versiculos incidi jusserit:

Est Rosa, sunt pardi, sunt lilia munera Regis
Britanni; meruit hoc mea magna fides.

Mortuus est Mense Augusto an. 1496. Marsilius Ficinus eum eruditissimum hominem appellat; de quo legendus etiam Ughellius.

ANTONIUS JACOBUS VENIERIUS.

DE Antonio Jacobo Venierio Recinatensi afferimus testimonium Jacobi Volaterrani, qui *in Diario Romano* ad an. 1479. ita scripsit: *Obierat per eos dies Augusto mense Comensis Cardinalis S. Clementis apud Recanetum,*

ortus sui, & agri Piceni Civitatem, quo per æstatem diverterat. Antonius Jacobus ei nomen fuit, gente Veniera. Fuerat hic Romæ Apostolicorum diplomatum Scriptor, *inde Syracusanus Antistes, à Pio Secundo in Hispaniam missus, ubi ab Hispaniæ Rege honore est auctus, & ad Ecclesiam Legionensem translatus, atque ab eodem Rege Orator ad Pontificem Paulum II. qui Pio successerat, destinatus. Defuncto Paulo, Sixtus IV. successor eundem Comensi Ecclesiæ uberiori præfecit; ac postea secundo Pontificatus anno Cardinalem creavit. Vir erat acris ingenii, magnæ solertiæ, linguæ liberæ, & intrepidi animi, ideoque Pontifici, & Mæcenati parum gratus.*

JOANNES GOBELINIUS.

QUI primus, & unus Gobelinium, Bonnæ Vicarium, Pii Secundi *Secretarium* fuisse tradidit, is fuit Franciscus Bandinus Senensis Archiepiscopus. Sed unius Scriptoris auctoritas tanti apud nos ponderis esse non debet, ut Gobelinium inter *Secretarios Pontificios*, præsertim qui clari fuerint, adnumerandum putemus. Certe apud Scriptores ceteros mirum hoc de homine silentium; & mirum quidem omnibus videri debet, tum Pium II., cum ejusdem carissimum Secretarium Ammanatum nostrum in tam multis, quas scripserunt, epistolis nunquam hujusce Secretarii meminisse. Bene fortasse Aubertus Miræus *in Auctario ad Trithemium* opinatur, Joannem Gobe-

belinium Amanuenſem fuiſſe ipſius Pii II. & hiſtoriam in libros tributam duodecim, quæ a Pio conſcripta fuerat, emiſiſſe veluti ſuam, non eodem ignaro Pontifice.

Edita autem Romæ fuit an. 1584., & 1589. nec non Francofurti an. 1614.

GORUS SENENSIS.

HUjus Gori, ſive Gregorii Senenſis meminit Gaſpar Veronenſis, qui eum in *Apoſtolici Secretarii munere* quinquaginta millia nummum aureorum ſibi lucratum eſſe narrat, *ſine cujuſquam quærimonia, aut aliquo ſuo crimine. Secretarius* fuit Pii Secundi, & eundem eſſe opinor, cui Philelphus epiſtolam ſuam quandam inſcripſit: *Gregorio Lollio Secretario Apoſtolico.*

LEONORUS BONONIENSIS.

DE Leonoro Bononienſi ita Gaſpar idem Veronenſis in *vita Pauli Secundi* pag. 1025. *Latinis literis græcas Bononienſis adjecit, atque adeo probe eas, pulchreque novit .... ut æque græce loquatur, ac latine: quod paucos inter Italos novimus eſſe aſſequutos. Audivit enim Leonorus Theodorum Theſſalonicenſem ejus linguæ peritiſſimum, & non ignobilem Philoſophum..... Poſt Pii II. obitum apud benigniſſimum Paulum Secundum vivere ſtatuit, non tamen, quemadmodum prius, in Brevibus Pontificiis conſcribendis, quæ formam epiſtolarem habent, ſed cu-*

bicularius jam evasit. Extant etiamnum aliquot Leonori epistolæ quum græcæ, tum latinæ, quæ MSS. in Bibliotheca Vaticana adservantur. Fuit Canonicus Ecclesiæ Bononiensis, ac PP. MM. ad Hispaniæ Regem Legatus.

BAPTISTA REATINUS.

IN *Secretariorum Apostolicorum* numero fuisse Baptistam quendam Reatinum idem tradit Gaspar Veronensis *in vita Pauli II.* pag. 1048., ubi ait: *Scribit & ornate Baptista Reatinus Scriptor Apostolicus.*

NICOLAUS SANDONNINUS.

NIcolaus Sandonninus Lucensis Paulo II. fuit a *Secretis.* Cum deinde ab eodem Pontifice Mutinensis Episcopus factus esset, nonnisi post diuturnas gravissimas contentiones cum Borso Ferrariæ Duce in Episcopatus possessionem pedem posuit. Diœcesana Synodus a Nicolao habita maxime celebratur, commendanturque in primis leges latæ *de Clausura Monialium, ac de Matrimoniis per tres festivos dies in Ecclesia publice nunciandis.* A Sixto IV. in Galliam missus controversias inter Ludovicum Galliæ Regem, Carolumque Burgundiæ Ducem feliciter composuit. Denique anno 1479. a Mutinensi Sede ad Lucensem translatum fuisse constat, ubi multos annos vixit splendide atque magnifice, ita tamen, ut, quod tribuendum est Episcopali officio, fidei,

dei, & religioni, minime prætermitteret. Ejus doctrinæ testes habemus Campanum, Papiensem, aliosque illius ætatis Scriptores plurimos. In Tabulario Canonicorum Lucensium, quod omnium in Italia propter antiquitatem celeberrimum, extat oratio, quam Sandonninus nomine Reipublicæ Lucensis habuit coram Innocentio VIII., qui nuper creatus fuerat Pontifex Maximus, latinæ eloquentiæ atque obsequii plenissima. Excessit e vivis an. 1499. non sine maximo luctu Civium, Præsul sane ornatissimus, & (quæ non ultima laus existimatur) Principibus apprime carus, præsertim vero Ferdinando Neapolitano Regi, qui Nicolaum magnopere dilexit, omnique honore dignissimum censuit.

JOANNES AN. DE BUXIS.

IS fuit Sixti IV. *Secretarius* & Bibliothecarius, ac demum Ep. Aleriensis; de quo Volaterranus ita scribit: *Joannes An. Præsul Aleriensis in librorum locis emendandis jure laudatur.* Strabonem enim editum an. MCDLXX. aliosque quamdiligentissimè emendavit, præsertim ab an. MCDLXVIII. ad an. MCDLXXI. Nam quum inventam nuper typographicam artem Germani homines Sweinheymus, & Pannartius Romæ castè integrèque exercerent, sedulam eis tribuebat Joannes operam; suntque eæ editiones nostris quoque temporibus magno in honore apud viros eruditos. Mortuus est Romæ an. MCDLXXV. uti ex inscriptione ejus sepulchri

chri constat, quod in Templo Sancti Petri ad Vincula positum est. En inscriptionem:

Jo. An. Episcopo Aleriensi Jen. Gent de Buxis Patria Vigievanen. Xysti IV. Pont. Max. Ref. Bibliot. Secretarioque. Venerando Senatui ac toti Ecclesiæ caro. Qui fuit pietate fide litteris insignis. De patria Parentibus amicis & omnibus benemeritus. Jacobus Fr. Germ. pientissime vixit an. LVII. m. VI. d. XII. obiit an. Jubilæi MCDLXXV. prid. non. Feb.

BENEDICTUS MAFFÆUS.

BEnedictus Maffæus Veronensis, summo genere natus, fuit Sixto IV. P. M. ab Epistolis; mox ab eodem Pontifice XIIvir litibus judicandis renunciatus. Sepulchrum demortuo excitatum fuit in Romano supra Minervam Templo cum hac Inscriptione: *Benedicto clara Familia Patriciorum Veronensium Maffæa genito Apostolic. liter. major. præs. dictand. virtutis ergo a Sixto IV. XII. viro creato, qui vixit annos LXV. menses XI. dies XIX. XV. Kal. Julii.* Quam inscriptionem afferunt Schraderus, Scipio Maffæus, & Gallettus.

DOMITIUS CALDERINUS.

DOmitium Calderinum in Calderia natum, qui locus est in agro Veronensi a balneis celebratus, a Raphaele Volaterrano *Commentar.* lib. 20. pag. 777. *Secretarius Apostolicus* appellatur; & propter singularem eruditionem dignus fuit, qui in eo numero reponeretur. Nam, ut ait Barthius in *Statium* fuit *primus,*

qui

qui hoc tempore Poetas duriusculos diligentius cuperit enarrare, & in eos commentarios edere admodum juvenis. Hoc declarat commentarius ipsius elegans in Papinium Statium, de quo ipse in *Præfat.* ait: *Incidi in libros V. Sylvarum Papinii Statii, opus granditate heroica sublime, argumento varium, doctrina remotissimum, quod nemo ante nos aut ausus est, aut potuit attingere.* Hominem arrogantem fuisse, & maledicum omnium obtrectatorem narrat Volaterranus *ib. Hujus ego, quamquam eram familiaris, vitium unicum livoris, atque obtrectationis in omnes doctos non præteribo, dignus propterea, ut de Lælio Quintilianus ait, vita longiore, ac ingenio meliore.* Mortuus est Romæ admodum juvenis an. 1477. hoc est Sixto IV. Pontifice. Solemne illi factum funus, quo Academici omnes Romani pulla veste convenere ad exequias cohonestandas. Inter Angeli Politiani carmina habes illius Epithaphium, quod est:

Hunc Domiti tumulum siccis qui transit ocellis,
Vel Phœbo ignarus, vel male gratus homo est.
Intulit hic vatum cæcis pia lumina chartis:
Obstructum ad musas hic patefecit iter.
Hunc Verona tulit docti Patria illa Catulli:
Huic lethum atque urnam Roma dedit juveni.

Quo vero mortis genere, aut quo ætatis anno non satis inter Scriptores constat. Nos Lucium Phosphorum sequimur, qui in Epigrammate ita cecinit:

Te scelerata lues sexta Trieteride nondum
Bis Domiti elapsa mittit ad Elysios.

Plu-

Plura de eo habentur apud Niceronium, Trithemium, Simlerum, Fabricium, & alios.

ANDREAS TRAPEZUNTIUS.
FRANCISCUS NOZERANUS.
MARCELLUS RUSTICUS.
GASPAR BLONDUS.

HOS omnes fuisse *Secretarios Apostolicos*, luculentus ejus temporis testis Jacobus Volaterranus in Diar. ad annum 1479. confirmat. Andream vero Trapezuntium Georgii filium fuisse, & filiam præterea hunc habuisse, quæ nuptui data est Fausto Magdalenæ Poetæ illi Romano, quem Leo Decimus dilexit plurimum, Jovius testatur. Fuisse autem literis a Patre institutum apparet ex Epistola, qua Georgius Pater misit Epitomen Prisciani ad Andream Filium. De Marcello autem Rustico (nam de Francisco Nozerano nihil invenimus præterea) habemus inscriptionem, quam supra attulimus, quum de Cincio ageremus; & Gasparem Blondum facile existimamus unum esse ex iis quinque filiis, qui Flavio Patri sepulchrum posuerunt, & quos Leander Albertus doctissimos fuisse ait.

JACOBUS VOLATERRANUS.

DE hujus familia varia est opinio, quem alii Mallæja e gente, alii e Gerarda, idque probabilius, Volaterris natum esse ajunt. Illud constat, fuisse ab epistolis Jacobi Amman-

mannati Cardinalis Papiensis, in quo error est Vossii palmaris, qui Jacobum Volaterranum eundem facit, atque Jacobum Ammannatum. Mortuo Cardinali Papiensi, a Sixto Quarto in *Secretariorum* ordinem cooptatum se esse ait ipse, & ex Codice Vaticano 3912. brevem eruimus Orationem, quam ipse Jacobus ad Collegas habuit, quo die cooptatus est, quæ affertur: *Amplissimi, & spectatissimi Viri, Patres & Domini mei. Voluit Sanctissimus Dominus noster pro sua Clementia, designare me Secretarium suæ Sanctitatis, & Sanctæ Apostolicæ Sedis, ac in vestrum Collegium, & ordinem cooptare, in locum Reverendi Patris D. Jacobi de Casena electi ad Imolensem Ecclesiam. Licet autem virtus, & merita mea non sint ejusmodi, propter quæ sim meritus assumi ad amplissimum munus, tam propter vestras virtutes, quam Collegii majestatem; tamen confisus in Deo, a quo bona cuncta procedunt, & qui dat affluenter speranti in se sapientiam, & doctrinam: confisus in Clementia Sanctissimi Domini Nostri, quæ immensa est, ut scitis: confisus quoque in vestra humanitate, quam intellexi hactenus, nunc gratum est experiri; spero ita me habiturum, ut Pontificem non pœniteat designationis: illas etiam admissionis. Et ex hoc tempore, Patres amplissimi, non modo ut collegam, sed ut plurimum obsequentissimum me, salva muneris dignitate, trado & offero Vestris Paternitatibus, a quibus peto cum omni humilitate, & reverentia, qua decet, in Collegium admittant, & recipiant, juxta seriem, & decretum Literarum Apostolicarum,*

rum,

rum & Processus inde sequuti, ad laudem Dei Omnipotentis, & exaltationem, & honorem sacri hujus Collegii.

Alia tamen ſtylo ſcripſit minus inelegan-ti. Hunc etiam fuiſſe ab Innocentio Octavo ad Mediolani Ducem, ad Rempublicam Florentinam, Regemque Neapolis Ferdinandum legatum; a Leone deinde Decimo Epiſcopum factum Aquinatem, Concilioque Lateranenſi Quinto propterea interfuiſſe, & nonaginta prope annos natum Romæ obiiſſe an. CIↃIↃXVI. Ughellius teſtatur.

LEONARDUS DATHUS FLORENT.

FUit hic *Secretarius* Pauli Secundi, & Sixti Quarti Pontificum, ejuſque Leonardi Fratris filius, qui, Martino V. Pontifice, Magiſter fuit Generalis Ordinis Prædicatorum. Multa ſcripſit tum verſu, tum proſa, homo ingenii præſtantia, & morum ſuavitate commendatus, de quo Verinus lib. 2. ita ait:

Tranſieram imprudens Leonardi Carmina Dathi,
Qui pede Romano, numeriſque ligavit etruſcis
Heroas, Lyricoſque modos ſub pondere rerum,
Dum ſacra Pontificis tractat myſteria Pauli.

Mortuus eſt Romæ an. MCCCCLXXII. ſepultuſque eſt in Æde S. Mariæ ad Minervam cum hac inſcriptione:

Leo-

Leonardo Datho Civi Florentino
Viro doctissimo optimoque
Pauli II., & Sixti IV. Secretario
Episcopo Massano. Vixit ann. LXIV.
Mens. duos CIƆCCCCLXXII.

Qua ex Inscriptione, & ex Ughellio fuisse illum constat Populoniæ, & Massæ Episcopum. Sed v. cl. Salvinus Salvinius, qui Canonicorum Florentinorum vitas conscripsit, antedictæ Inscriptionis Auctorem reprehendit, quod Leonardum Dathum, qui & Callixti III. & Pii II. *Secretarius* fuit, solum Pauli II. & Sixti IV. *Secretarium* faciat. Id autem conficit ex *actis quibusdam*, quæ in Tabulario Florentino asservantur, ubi postridie Kal. Sept. MCCCCLVII. Nicolaus quidam Corbitius inducitur quasi Procurator *Domini Leonardi de Dathis D. N. Secretarii*; tum etiam ex *mandatis*, quæ die XIV. Maii MCCCCLX. Respublica Florentina suis ad Callixtum III. gratulandi causa Legatis dederat, quæ ita habent: Præterea *farete raccomandato strettamente alla Santità del Papa Messer Lionardo Dati nostro Cittadino, e suo Secretario.* Magni hæc ponderis sunt, sed non ejusmodi, ut Inscriptionem, quæ illa ætate curata fuit, statim erroneam esse pronunciandum sit, præsertim cum Franciscus Philelphus an. 1464. hoc est Pauli II. Pontificatus anno primo, ita de recenti Secretarii munere gratuletur: *Cum tibi gratulor, Leonarde Dathe, tum mihi in majorem modum, & lætor, & gaudeo, quod ea tibi tandem illuxit dies, qua & tibi possis usui esse maximo, & amicis &c.*

&c. At Salvinius fortaſſe (pace tanti viri dixerim), aut ignoravit, aut oblitus eſt non unum eſſe genus Secretariorum ; alii enim *honorarii* erant, alii *re* id munus exercebant. Callixto III. & Pio II. Pontificibus Dathus *Apoſtolicus Secretarius* fuit honore, & nomine; Paulo II. & Sixto IV. Pontificibus *Scriptor fuit Pontificiarum Epiſtolarum nomine & effectu, & emolumento.* Atque hujuſce unius Secretariatus rationem habuit Auctor Inſcriptionis, qui eadem, qua Dathus, ætate floruit, neque propterea ſtatim erat temere accuſandus tamquam aut erroris, aut negligentiæ reus.

MATHIAS PALMERIUS.

HUnc *Secretarium* fuiſſe Sixti IV. Jacobus ait Volaterranus *in Diar. ad ann.* MCCCCLXXXIII. & Martinellius confirmat in *Roma ex ethnico ſacra pag.* 224. qui hanc ejus etiam attulit Inſcriptionem :

Mathiæ Palmerio Piſano
Abbreviatori, & Secretario Apoſtolico
Qui eloquentia eruditione græca
Latinaque claruit
Et vitæ probitate innocentia
frugalitateque
Præſtitit: Vixit annos LX.
Silveſter Frater P.

Ariſtæam, nonnullaque alia e græco in latinum opera tranſtulit: De bello etiam Italico ſcripſit, & mortuus eſt die XIX. Sept. MCCCCLXXXIII.

AU-

AUGUSTINUS STACCIOLUS, SIVE STACCOLUS URBINAS.

QUÆ de hoc Augustino Seraphini filio e nobili Staccoiorum familia in Dialogo attulimus, habemus ex Præfat. Jo. Francisci Magini, qui curavit edenda ejus Carmina thusce conscripta ann. MDCCIX. Bononiæ, neque præterea est, quod addamus.

JOANNES PETRUS ARRIVABENIUS.

JO. Petrus Arrivabenius Mantuanus Guidi Baldi Urbini Ducis Romæ Orator cum esset, ab Innocentio VIII. fit Urbini Episcopus, sibique a *Secretis*. Sanctæ sedis nomine Legationem obiit apud Ferdinandum Neapolis Regem, qua perfunctus curas omnes in administratione Urbinatis Ecclesiæ diligentissime contulit. Ex Literis Politiani ad eum scriptis constat non mediocri eruditionis laude floruisse. Jam senex Urbini decessit, sepultusque est in Æde maxima, ubi duplex Inscriptio cl. Antistis memoriam immortalitati commendat. Inscriptio sepulchralis sic habet:

Jo. Petr. Arrivabenius Mant. trium Rom. Pontt. Domesticus, & unius ex ipsis apud Regem Ferdinandum Orator ac Urbinas Episc. hoc Sepulc. sibi faciendum curavit. Obiit A. D. MDIIII. *vix. an.* LXIIII. *& mens.* XI. *sedit ann.* XIII. *& m.* VII.

Altera Inscriptio marmorea e Columna prostat:

Jo. Petri Arrivabeni Mant. viri Nobilit. Morib. Doctrina æque clari, Divini cultus Propagatoris, Ecclesiæ hujus vigilantiss. Præsulis, proximique sacelli DD. Mart. Turo. & Thom. Cant. Episcopis dicati Fundatoris piæ memoriæ positum.

BARTHOLOMÆUS SCALA COLLENSIS.

BArtholomæus Scala humili genere natus est Colle Etruriæ Oppido. Primus illi ad honores aditus fuit contracta cum Cosmo Seniore, Petroque Mediceis necessitudo. A Florentinis Civitate donatus, in ea Republica *Secretarii* & Cancellarii munere perfunctus est, atque inter Decemviros cooptatus. In solemni ad Innocentium VIII. Legatione orationem habuit adeo gratam Pontifici, ut ab eodem Eques auratus, Romæ Senator, ac *Secretarius Apostolicus* factus sit. Florentiam redux summos Reipublicæ honores ac Magistratus obtinuit. Ita enim ad Politianum æmulum scribens sibi gratulatur: *Interea Florentinus Populus ad Prioratum me evexit, deinde ad Vexilliferatum, tandemque & in Senatorium me Ordinem, equestremque collocavit, tanto profecto suffragiorum consensu, ut nihil esse factum unquam popularius multi putarent &c.*

Quam-

Quamquam autem Politiano, quicum perpetuas simultates exercuit, Erasmo, Josepho Scaligero pessimus latinitatis Auctor visus sit, sua tamen ætate plurimi a plurimis factus est. Cum jamdiu ex podagra laboraret, tandem Florentiæ obiit ann. 1497. sepultusque est in Templo Virginis ab Angelo salutatæ.

Opera quæ scripsit hæc sunt: *Historia Florentinorum: Vita Vitaliani Borrhomæi ad Petrum Medicem*, cum Epitaphio ejusdem Vitaliani: *Oratio ad Innocentium VIII. Oratio pro imperatoriis militaribus signis dandis Constantio Sfortiæ Imperatori*: *Apologi centum ad instruendam vitam accommodati*: *Epistolæ*, *carmina*, *Dialogus de consolatione*, qui dicitur *Cosmus*: *De rebus moralibus. Fragmentum Psalmorum. Apologia contra vituperatores Florentiæ*: Eam protulit in lucem Petrus Crinitus nolente ipso auctore (ut colligitur ex duabus Criniti epistolis eidem Apologiæ præfixis,) & edidit Florentiæ an. 1496. *in fol.* quæ editio rarissima.

Quamplurimas scripsit epistolas, quarum partem inseruit ipse *Scala in Collectione Cosmiana*, seu inter epistolas, & carmina a diversis composita in laudem Cosmi Medicis Senioris. Aliæ leguntur epistolæ Ang. Politiani lib. V. epist. 9. 10. 12. 14. 16. & inter illas Augustini Dathi lib. 1. pag. 137. 138. Sermones in Politianum scripsisse testatur Pocciantus *Script. Florent.* & Eclogas tres, quarum una de *Arboribus* carmine hexametro exarata, poema potius, quam Ecloga dicenda est. Sed multo plura scripsit, quæ inedita sunt. Extant MSS.

in Biblioth. Medicea. Poema fecisse ad imitationem Lucretii scribit Pocciantus. Plura vide apud Zenum *Dissert. Voss*. To. II. pag. 260. a quo hæc omnia collegimus.

HIERONYMUS BALBANUS.

HIeronymus Balbanus Lucæ ortus ex antiqua, nobilissimaque Familia, quæ non paucos præstantes virtute viros tulit ad præsidium ac ornamentum illius Reipublicæ. Is fuit homo doctus, atque, ut iis temporibus, sane in scribendo elegans, & propterea Innocentio VIII. Pont. Max. ab *Epistolis*. A quo factus Episcopus Perusinus anno post Romæ obiit Alexandro VI. Pontifice. Extant latinæ aliquot ejusdem Epistolæ scriptæ non ineleganter.

LEONARDUS GRYPHIUS.

LEonardus Gryphius Romanus, sive ut alii putant Beneventanus, Sixto IV. fuit ab Epistolis. Primum Episcopus Eugubinus factus fuit, deinceps ad Beneventanam Ecclesiam multo opulentiorem translatus. Obiit an. 1485. Ejus mentionem fecimus, ne iis sermo daretur, qui ejus nomen sæpe inter Secretarios Apostolicos legerunt. Cæterum quid scripserit, & quomodo scripserit ignoramus.

WIL-

WILLELMUS CAORSINUS.

Willelmus Caorsinus Duaci natus in Belgio Rhodi annos quadraginta Procancellarii munere perfunctus est. Rebus in celeberrima Rhodi obsidione an. 1480. fortiter gestis strenuus propugnator interfuit, atque Rhodiorum Equitum nomine Legationes obiit duas, alteram, ut adversus præpotentes Turcarum vires opem a Paulo II. P. M. imploraret; Alteram postquam Innocentius VIII. renunciatus est Pontifex, ut ei gratularetur, Equitumque Rhodiorum Rempublicam commendaret. Accidit perjucunda Pontifici oratio Caorsini gratulatoria. Itaque Comes Palatinus est factus, ac pro veteri more institutoque Pontificum sibi adjungendi homines latina eloquentia præstantes, inter *Secretarios Pontificios* relatus. Illud animadversione dignum videtur, quod in ea oratione ad Innocentium conversus: *Nec parvi pendes*, inquit, *Rhodiam Urbem tutari, quæ avitos cineres reconditos possidet, Genitorique ortum dedit.* Quibus ex verbis nobilissimæ Cyborum familiæ origo innotescit. Obiit an. 1501. Caorsini meminere inter alios Bohoursius in vita Cardin. Bussonii gallice scripta, & Abbas Vertotius in historia Equitum Rhodiorum. Commentarium vero, quo Caorsinus in Rhodi obsidione res fortiter gestas describit, mirum in modum commendat Cassandra Fidelis in suis ad Petrum Bussonium magnum Hierosolymitanæ militiæ Magistrum literis.

Quæ omnia Guillielmus Caorsinus tuus elegantissima complexus est historia, dignus sane cum perspicua rerum fide, tum sermonis candore atque elegantia, qui inter veteres potius, quam recentes, reponatur Scriptores, dignus & tu qui a tanto celebrareris homine. Gratulor itaque tuæ felicitati, Princeps clementissime, gratulantur Christiani omnes, qui publicam, & privatam salutem tibi deberi fatentur.

Omnia Caorsini scripta Ulmæ sunt edita uno volumine; videlicet:

Guillelmi Caorsini Rhodiorum Vice-Cancellarii obsidionis Rhodiæ urbis descriptio.

De Terræmotus labe, qua Rhodii affecti sunt.

Oratio in Senatu Rhodiorum de morte Magni Turci habita pridie Kal. Jun. MCCCCLXXXI.

De casu Regis Zyzymi Commentarium.

De celeberrimo fœdere cum Turcorum Rege Bagyazet per Rhodios inito Commentarium.

De admissione Regis Zyzymi in Gallias, & diligenti custodia, & asservatione exhortatio.

De translatione sacræ dexteræ S. Jo. Baptistæ Christi Præcursoris ex Constantinopoli ad Rhodios commentarium. Accedit oratio in laudem ejusdem Præcursoris.

Ad Sum. Pont. Innocentium VIII. oratio habita coram eodem Pontifice, ac sacro Senatu, Prælatorum & Curialium præsentia adstante V. Kal. Feb. MCCCCLXXXV.

De traductione Zyzymi Sultani Fratris Magni Turci ad Urbem commentarium.

Volumen stabilimentorum Rhodiorum Militum Sacri Ordinis Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani.

BAR-

BARTHOLOMÆUS FLORIDUS ARCHIEP. CONSENTINUS.

HUjus infœlicis *Secretarii* historiam scripsit Joannes Burchardus *in Diario Curiæ Romanæ sub Alexandro VI.* qui ait: *Feria V. XIV. Septembris An. MCDXCVII. circa horam quintam noctis Sanctissimus Dominus Noster vocato R. P. D. Bartholomæo Florido Archiepiscopo Cusentino Secretario suo, eum capi facit, & carceribus Sancti Angeli mancipari.* Et deinceps: *Feria II. Octobr. fuit secretum Consistorium, in quo lectus est Processus contra D. Archiepiscopum Cusentinum Sanctissimi D. N. Secretarium habitus, & confessio per eum facta: Eodem die in sero Bartholomæus Floridus, olim Archiepiscopus Cusentinus, depositus est omni habitu, & vestibus suis, & indutus gonella loco diploidis de panno albo grossissimo, duplicata longa ad medium palmum supra genua, uno pari caligarum albarum de panno grosso, uno pari calceorum coraminis grossissimi, gabbano de panno viridi longo ad terram, & bireto duplo albo, & data sibi in manus imago Crucifixi. Sicque vestitus ductus est ad locum sepulturæ Adriani, Somajocho nuncupatum, pro perpetuis carceribus sibi deputatum, in quo parata sibi fuit lectica ex tabulis more solito composita, & desuper positus paleritius, & materatium cum duabus sclavinis, & dati sibi Breviarium, Biblia, & Epistolæ. Item unum Barrile aquæ, tres caccbiate panis, unum boccale olei, & lucerna pro lumine.*

ne. Mandatum fuit per Papam, quod singulis diebus duobus vel tribus debeat idem inclusus per Castellanum ejus nomine visitari, & panem, & aquam pro ejus victu, & oleum pro lumine sibi ministrare. Relatum fuit; singulis diebus Sanctissimum D. N. misisse ad prædictum Cusentinum electum Tullensem, & alios familiares suos, qui secum in scacchis luderent, ac ipsum convenientes persuasionibus inducerent ad confitendum se plura Brevia sine Pontificis jussu expedivisse, ut Pontifex per id se de aliis suo jussu expeditis, quæ Regem Hispaniarum irritaverant, excusaret, ac si etiam eo inscio expedita essent. Quod si ipse Cusentinus faceret, eum exaltaturum, & majoribus beneficiis remuneraturum; & hujusmodi persuasionibus Cusentinum præmissa confessum esse, & eo facto dictos Tullensem, & alios ad eum nunquam rediisse. Et deinceps: *Feria Secunda XXIII. Jul. An. MCDXCVIII. obiit Bartholomæus Floridus, olim Archiep. Cusentinus, & Sanctissimi D. N. Secretarius in Castro S. Angeli, & in sero portatus fuit ad Ecclesiam B. Mariæ Traspontinæ sine lumine aliquo, & ibidem sepultus sine aliqua ordinatione Ecclesiæ.* Hanc historiam barbare quidem, sed simpliciter enarratam damus legentium curiositati.

VENTURA BENASSAI.

VEntura Benassai Senensis, Massæ Episcopatum obtinuit an. MD. prid. Non. Octobr. Alexandro VI. sedente, cujus scribebat epistolas: Sed Julio II. Pontifice in vincula conjectus,

ctus, libertati non est restitutus nisi solutis aureorum nummûm DCCC. abdicatisque Romanis Magistratibus.

HADRIANUS CARDINALIS CORNETANUS.

SEcretarium fuisse Hadrianum Alexandri VI. narrat idem Burchardus in eodem Diario, ubi ait: *Sabbato XIV. Octobris An. MCDXCVII. Sanctissimus D. N. recepit in Secretarium suum secretum in locum Cusentini R. P. D. Adrianum Castellensem de Corneto Clericum Cameræ &c.*

Hunc Pierius Valerianus *in Dialog. de literatorum infœlicitate*, *emunctissimæ latinitatis auctorem* appellat; de quo etiam ita scribit: *Beneficio Alexandri VI. Pontificis Maximi, cui fuerat a secretis, ad id honoris* (Cardinalatus) *evectus, sub Julio Secundo Pontifice Maximo, mox exul factus, & acerbissimis percussus edictis, annos aliquot in Germanicis Rhætorum alpibus obscura, & sordida peregrinatione delituit. Defuncto mox Julio, eique Leone suffecto, profanissimæ in talem Principem conjurationis conscius fuit, qua patefacta, veniaque ab humanissimo Pontifice impetrata, diplomateque absolutionis accepto, suæ stimulo conscientiæ exulceratus, noctu clam fugam arripuit, neque quo abierit, neque ubi sit, quatuordecim jam annorum spatio quisquam potuit explorare. Constans autem opinio est, eum insuto in interiorem thoracem auro oneratum, comitis famuli perfidia oppressum, auroque surrepto, cadaver in solitarium*

rium aliquem locum abjectum occultari. Locus autem, ubi exulavit, Ripa est oppidum ad Benacum in agro Tridentino, ibique in Templo Mariæ Assumptæ inscriptio legitur Polydoro cuidam Caramico familiari suo ab eodem Hadriano posita:

Exulat Adrianus: Tu jam Polydore quiescis,
Æternumque vales: nobis dira omnia restant.

Scripsit dum exularet, *de sermone latino*, in cujus libri præfatione ad Carolum Principem Hispaniæ ita ait: *Erat in animo prosequi cœptum jampridem opus sacros veteris instrumenti libros ex Hebræo ad verbum in latinum sermonem vertendi, sed quum me procella temporis in Tridentinas rupes, quo Judæi ob Simonis cædem ne aspirare quidem audent, detruserit, atque animus inquies nihil agere non posset, hoc sum adgressus.* Scripsit etiam carmina *de venatione*; *&* *de itinere Julii II.* nec non descriptionem ædium suarum, quas prope Vaticanum exædificandas curavit.

SIGISMUNDUS DE COMITIBUS.

SIgismundus de Comitibus e familia Trincia Fori Flaminii ortum duxit an. CIↃ CCCCXXXII., si verum est, octogenarium obiisse, fuitque, ut affert Durantes Doria, qui Familiæ Trinciæ historiam conscripsit, Paulo II. Sixto IV. Innocentio VIII. Alexandro VI., & Julio II. *ab*

Epi-

Epiſtolis. Poeta fuit atque Orator inſignis, ſcripſitque hiſtoriam ſui temporis in decem, & novem libros tributam, quæ tamen nunquam in vulgus prodiit. Sigiſmundum plerique auctores laudant, ſed inſtar maximæ laudis illud eſt, quod Petrus Bembus in libro de *Guido Ubaldo Feretrio, deque Eliſabetha Gonzagia Urbini Ducibus ad Nicolaum Theupulum* ſcriptum reliquit: *Nam is* (is autem erat Julius II. Pont. Max.) *& Sigiſmundum unice diligit, apud ſeque habet, atque in ſcribendis Epiſtolis præclara ejus opera utitur: in quo difficile eſt, quantum unus omnes excellat, quum ſcriptionis elegantia, & candore ſtyli, tum plane diligentia & fide.*

Jacobillus, qui res ſuorum civium diligentiſſime inveſtigavit, ſcripſiſſe etiam affirmat *nonnullos Commentarios in Decades Flavii Blondi, aliaque non pauca tum ſoluta, tum ligata Oratione.* Sed præter hiſtoriam, *Epiſtolas latinas duas, Elegiam unam, verum etiam Epigramma, Hendecaſyllabos Italico ſermone conſcriptos*; cætera adhuc deliteſcunt. In Tabulario Vaticano habetur ſatis prolixa ejuſdem declamatio *pro Secretariis Apoſtolicis* adverſus Advocatos Conſiſtoriales.

Abſtemius meminit etiam *Carminis* a Sigiſmundo editi in laudem Ludovici Toſcani. Obiit Romæ, ſepultuſque eſt in Aracælitano Templo, ubi hæc inſcriptio extat:

Giſ-

Gismundo de Comitibus
Fulginati nostri temporis
Historiographo celeberrimo Julii II. Pont. Max.
Secretario merito ac unanimiter Ludovico
Nepoti
Adolescenti vita functis an. D. MDXLVII.
d. XXII. August.
Monumentum piissimæ sorores posuere cumque
ex Concilii
Decreto licitum foret hoc parvum ob memoriam
Restaurarunt.
An. sal. MDLXV. idib. Aprilis.

JOANNES FRANCISCUS DE COMITIBUS.

JOannes Franciscus de Comitibus, quem Gismundus a conjuge *Allegrezza degli Atti*, habuit, Patri successit, fuitque Julio II. & Clementi VII. *ab Epistolis.* Ita de ipso scriptum legi: *Magnifico D. Joanni Francisco ex Comitibus, Nobili primario Fulginei Secretario Scriptorique Apostolico dignissimo.*

ANTONIUS URSUS VENETUS.

HUnc *Secretarium* Apostolicum fuisse accepimus ex inscriptione sepulchri, quod in Templo S. Marcelli positum est quum illi, tum Joanni Michaelio Patritio Veneto S. Angeli Cardinali, cujus Antonius familiaris fuit. Huic homini aliquam in scientia Juris Pontificii laudem

dem tribuunt Sansovinus, eo libro, qui inscribitur, *Venetiæ illustratæ*, & Fulcarenus, vir nobilitate, atque eruditione præstantissimus, eo libro, quem de Literatis Venetis nuper edidit.

En Inscriptionis pars, quæ ad ipsum pertinet:

Joann. Michaelio Patritio Veneto
Card. S. Angeli &c. &c. &c.
Antonius Ursus Venetus Secretarius Apostolic. Episcopus Agiensis familiaris Pientiss. sicuti fide ac singulari amore totius suæ vitæ tempore adstitit ita & in morte ab hac sua gratiss. subjectione inseparatam videri cupiens conditorium Domino suo seque sub illo tumulari testamento mandavit. Qui innoc. VIII. Alexandri VI. Pii III. Julii II. Pontiff. Referendarius summa integritate, doctrina, religione, justitia, vixit annos LXX *. ob.* XXVIII. *Sept. an.* MDXI.
Jacobus Fr. Benemerentib. Pos.

LUDOVICUS PODOCATHARUS.

LUdovicus Podocatharus ex pervetusta nobilissimaque familia Cypri natus, postquam Patavii humaniores literas, severioresque disciplinas egregie didicisset, Romam se contulit, ubi primum ab Alexandro VI. Episcopus Caputaquensis, deinde *Secretarius Apostolicus*, denique creatus est Presbyter Cardinalis Tit. S. Agathæ in Suburra. Quamquam in sepulchra-

chrali Inſcriptione nulla ſit mentio, tamen Archiepiſcopatu etiam Beneventano ornatum fuiſſe ſatis conſtat, quam Sedem nunquam adiit, quod Romæ Signaturæ Brevium præeſſet. Optima dum vixit ſemper uſus eſt valetudine. Ciacconius Romæ, alii apud Olduinum Mediolani obiiſſe tradunt, dum ad Hiſpaniarum Regem proficiſceretur. In Templo S. Mariæ de Populo, in quo Sacellum extruxit, annuoque ad quotidianum ſacrificium cenſu dotavit, extat marmoreum ſepulchrum cum hac Inſcriptione:

Lud. Podocatharo. Cyprio. Presb. Tit. S. Agathæ Card. Caputaquen. Philoſophoi. illius tempeſtatis doctiſs. & eloquentiſs. in re Eccleſiaſtica gubernanda multos annos diſſicillimis temporibus ſumma prudentiæ judicii integritatis laude verſato, ejuſque ergo ampliſſimæ dignitatis præmia optimis Patrum quibuſque expoſtulantib. adepto, dignoque omnium ſententia majora accipere, qui maxima eſſet conſequutus.

Vix. ann. LXXV.

CAROLUS VERARDUS.

Vitam Caroli Verardi Cæſenatis ferme omnem complectitur ſepulchralis Inſcriptio, quæ Romæ in Æde S. Auguſtini adhuc legitur:

D.

D. O. M.

Carolo Verardo Archidiac.
Cæsenati hujus in Patria dignitatis
Auctori
humanarum divinarumque rerum peritiss.
IV. Pont. Max. a cubiculo
Literisque Apostolicis
dictandis ultra citraque Alpes
Honoribus ampliss. honestissime
functo.
Vix. an. LX. obiit anno sæculari
M. D. Idibus Decembris.
Camillus Eques Pontificius
Sigismundus Hippolytusque
Patruo B. M. Pos. Curante Marcellino
Alumno æterno dolore
afflicto.

Quanta vero latinitatis laude Verardus floruerit, satis documento est Comœdia illa, sive potius Dialogus latine prosa oratione scriptus: in hujus præfatione Cardinalem Raphaelem Riarium Rom. Ecclesiæ Camerarium alloquens, in cujus ædibus, quæ nunc ad Cancellariam Apostolicam pertinent, Theatro præpositus antea fuerat, *Unius* (inquit) *dumtaxat diei, quo videlicet Urbs Granata Baudelis Regis bello jam fracti, fameque fatigati deditione* (a Ferdinando Catholico) *recepta est, acta complexus sum, historiamque interlocutionibus, personisque ita contexui, ac distinxi, ut totam rem, ita uti gesta est, posset Populus Romanus non so-*

lum

lum auribus percipere, verum etiam oculis intueri. Tanto autem Patrum ac Populi silentio, & attentione recepta est, tantusque favor ac plausus subsequutus, ut jamdudum nihil æque gratum ac jucundum auribus, oculisque suis oblatum fuisse omnes faterentur.

Tragi-Comœdiam, quæ *Fernandus servatus* inscribitur, a Marcellino Verardo Fratris Filio versibus Jambicis scriptam, Carolo Verardo magna ex parte tribuendam esse arbitror. Hic enim Petrum Mendozam Toleti Archiepiscopum, & Hispaniarum Primatem in præfatione hujus operis alloquens insidias Barcinonæ Ferdinando Catholico factas, machinationibus Dæmonis tribuit, quæ Divini Numinis ope ac vi in nihilum recidissent, atque hanc materiam esse, ait, scriptione dignam, & in qua præclara quæque ingenia desudarent. Itaque totam eam digessit, & personis variis, quas induxit loquentes, distinxit, Marcellinoque, qui Poesi mirifice delectabatur, tradidit versibus, & poeticis coloribus, salva rerum dignitate ac veritate, pingendam, exornandamque. Marcellinus Patrui consiliis paruit: Tragicomœdia hæc postulantibus duobus Regiis Legatis Bernardino Carvallio, & Joanne Medina, altero Badayocio, altero Asturicæ Episcopo, recitata Romæ est coram Alexandro VI. Pont. Max. & Cardinalibus, atque ea voluptate excepta est, ut *facile appareret eos omnes vel sola fama virtutum Ferdinandi Regis illectos omnia, quæ ad ejus laudem dicerentur, aut fierent, studiose audire, & cernere.*

Per-

Personæ, quæ inducuntur loquentes, eorum temporum stylum atque ingenium produnt. Sunt enim *Pluto*, *Alecto*, *Tysiphone*, *Megæra*, *Regina Isabella*, *ejus nutrix*, *Jacobus Apostolus*, *Ferdinandus*, *Petrus Mendoza Cardinalis*, *Russus Sycarius:* Quamquam Joannes Mariana lib. XXVI. fuisse affirmat Joannem Canariarium Cathalanum.

HENRICUS BRUNUS.

HEnricus Brunus Astensis fuit Alexandro VI. Sacroque Cardinalium Senatui a *Secretis*. Ab Hortana Episcopali Sede ad Archiepiscopalem Tarentinam translatus est anno 1498. Anno vero 1509. Romæ obiit, sepultusque in Æde S. Augustini prope Ludovicum Brunum affinem suum Episcopum Aquensem.

PAULUS CORTESIUS GEMINIANENSIS.

A Paulo Cortesio Geminianensi conscriptæ Epistolæ Alexandri VI. & Pii III. PP. MM. nomine reperiuntur in Bibliothecis Florentinis. Neque verò inter Claros Pontificiarum Epistolarum Scriptores locus negandus est homini, qui dum viveret doctissimus est habitus; testesque doctrinæ reliquit libros doctissimè scriptos, alterum quidem *de Cardinalatu*, typis editum in Cortesiano *Montium* fundo, qui a Geminiani Fano II. passuum millia abest Die XV. Novembr. Ann. MDX. Alterum *De Hominibus Doctis*, quum diutiùs la-

M tuis-

tuisset, typis tandem editum Florentiæ ann. MDCCXXXIV. auctum Notationibus, Vitàque Auctoris, qui in ipso Corteliano Montium fundo natus erat an. MCDLXV. ibique immaturà morte decessit an. MDX.

GABRIEL DE GABRIELIIS.

GAbriel Fani Fortunæ nobili genere natus a Julio II. qui ejus fidem atque constantiam in adversa fortuna perspexerat, statim sui Pontificatus initio factus est sibi ab *Epistolis*, vel (ut ait Bembus) a consiliis potius atque ab animo ipso. Unus enim prope ille erat, quem Pontifex mirifice diligeret, quemque appellaret familiarissime summaque cum dignitate. Itaque brevi in altiori longeque illustriori honoris gradu positus est, factusque tum Urbini Episcopus, mox Cardinalis Tit. S. Praxedis, atque Umbriæ legatus. Ad Savonensem congressum, cui Ludovicus XII. Galliæ Rex, ac Ferdinandus Aragonius interfuere, unus a Pontifice missus est, qui S. Sedis auctoritatem tueretur; Ex quo re bene gesta Romam cum revertisset, atque Umbriæ Legatione se abdicasset, diem extremum obiit an. MDXI. die VI. Novembris, sepultusque est in Æde S. Praxedis. Inscriptio Sepulchralis sic habet:

Ga-

Gabriel ex Fano Fortunæ ex gente sui Nominis cooptatus in Sacrum Collegium Cardinalium a Julio II. Pont. Max. pro Clementia suæ Sanctitatis rediens ex Legatione Perusina hic diem functus est. Vixit an. LXVI. jacetque sub hoc parvo lapide.

PETRUS CARD. BEMBUS.

PEtri Cardinalis Bembi nomen adeo clarum in literaria Republica est, ut quid tantus vir ad restituendas latinas literas egerit, quid scripserit, & quam eleganter, sapienterque scripserit, nemo ignoret, nisi qui in optimis studiis hospes omnino, ac peregrinus inveniatur; præsertim quum Vitam ejus multi auctores, imprimisque Ludovicus Beccatellius Archiepiscopus Ragusinus, atque disertissimus ipse scriptor Joannes Casa monumentis literarum mandaverit, quam etiam pulcherrimis animadversionibus illustravit Apostolus Zenus.

De sua Pontificias Epistolas conscribendi ratione quid ipse & senserit, & dixerit, legitur in Epistola nuncupatoria ad Paulum III. librorum duodecim Epistolarum, quas nomine Leonis X. scripsit, quæ data est Patavii idibus Januarii MDXXXV. sic enim ait: *Qui etiam eo justius ad Te libri veniunt omnibus politioribus literis, & doctrinis perornatum, quo magis*

ipsi ea latine loquuntur, quæ adhuc quidem satis vel inepte, vel etiam perperam, nulla quidem certe cum dignitate, more exemploque urbanæ & forensis disciplinæ solita sunt scribi ab Epistolarum Pontificalium Magistris, qui triginta esse consueverunt. Hæ quoniam Epistolæ multas ad exteras persæpe nationes perferuntur, esse usui nostra hæc diligentia poterit, non hominibus solum nostris, sed illis etiam, ad quos ea non romanè scribendi consuetudo, quod a R. Pontificibus proficiscitur, contagionem quandam affert tradentium majestate fultam, & comprobatam, ut errare se sic scribentes non existiment. Fuerunt tamen, qui hanc ipsam ob caussam, quod superstitiosam quandam latine scribendi rationem adhibuerit, illum neque fortasse inepte, reprehenderint. Inter quos Ubaldinus Bandinellius: qui de hoc judicio in Epistola ad ipsum Bembum data purgat sese:

Ubaldinus Bandinellius
Petro Bembo.

Jacobus Sadoletus Cardinalis quum mihi caput quoddam literarum tuarum legisset, quo capite ad ea rescriptum erat, quæ is tecum meo rogatu, de meo non modo virtutum tuarum honorificentissimo judicio, verum etiam perpetuo erga te studio egerat: etsi iisdem literis satisfactionem nostram accipere, teque mihi placatum esse affirmabas; tamen, quod a principio altius hæsisse tibi obtrectatorum meorum criminationes declarabas, quodque eas magis amici gratiæ condona-

donabas, quam tibi satis purgatas significabas, faciendum mihi visum est pro animi mei conscientia, proque eo quanti te facio, ut aliquid iisdem de rebus ad te literarum darem, quibus aut voluntatem meam tibi vere planeque probarem, aut illam apud cæteros certe testatam relinquerem. Et quoniam omnis offensio orta est ex epistola quadam Nigri, qua ille cum ad te de judiciis hominum urbanorum de tuis epistolis Pontificiis perscriberet, me illas vehementer vituperare criminatus est, quomodo omnis hæc res acta sit, breviter simpliciterque narrabo. Ego cum in taberna libraria forte adessem, adessetque Moisa noster, aliique nonnulli: Niger autem, ut opinor, & certe non adesset, ortus est de his ipsis epistolis tuis sermo, quidamque ex iis, quid de illis sentirem, ex me quæsivit. cui ego sine ulla cunctatione respondi, satis eas sua præscriptione laudatas videri debere, Quid enim, inquam, a Bembo proficisci, nisi doctum, atque elegans potest? Tum hoc addidi, me illos libros tamen vendibiliores putare fuisse futuros, nisi a certis verbis obsoletis illis quidem, sed tamen huic scriptioni pene necessariis, tantopere refugisses. Cum enim tantum tuum nomen esset, nemo non solum harum liberaliorum, humanarumque artium studiis deditus, sed ne scriba quidem ullus, aut librarius eos habere noluisset, præsertim cum ejus generis epistolæ sint, quæ in maxima parte in cæterarum formularum libris non extent. Itaque me illas arbitrari pro dictatis, atque exemplis esse potuisse: sic vero cum tantum abhorreant ab forensi verborum consue-

tudine, horum dico nostratium, neminem illos nisi doctum in manus sumpturum, eosque ipsos magis ut, quomodo veteres illi Coss. aut Prætores locuti sunt, agnoscant, quam quomodo nostri Pontifices loquantur, addiscant. Atque hæc summa sententiæ meæ, sive, ut verius dicam, sermonis fuit &c. &c.

Paulus Tertius Pont. Max. Bembum Cardinalem creavit an. MDXXXIX. commendatione præsertim Cardinalis Jacobi Sadoleti, qui negabat sibi jucundam eam dignitatem futuram, nisi Bembum studiis, amicitiaque sibi conjunctissimum in ea collegam haberet. Mortuus est Romæ, sepultusque in Templo S. Mariæ ad Minervam inter monumenta Leonis X. & Clementis VII. cum hac inscriptione:

Petro Bembo Patricio Veneto
Ob ejus singulares virtutes
A Paulo III. Pont. Max.
In sacrum Collegium cooptato
Torquatus Bembus posuit
Obiit XV. *Kal. Febr.* MDXLVII.
Vixit annos LXXVI. *mens.* VII. *dies* XVII.

JACOBUS SADOLETUS CARD.

DE Jacobo Sadoleto Mutinensi eadem fere, quæ de Bembo, fama doctrinæ. Quibus Pontificibus, quandiuque *Secretarius* fuerit Apostolicus, ipse narrat in procemio Operis *de Republica Christiana*, quod moliebatur: cujus Procemii partem, quæ ad illustrandam

ho-

hominis notitiam valet, asserimus. Procemium hoc, quod Epistolam semel atque iterum appellaverim; semel atque iterum erratum fateor:

Cupienti mihi agere semper aliquid, quod esset dignum iis studiis, in quibus a puero non modo liberaliter, verum etiam magna cum spe fueram educatus, multa sæpe obstiterunt, quæ non tam interrumperent quidem hunc omnino meæ voluntatis cursum, quam retardarent. Nam quum mearum initio actionum, quas in media ipsa adolescentia, consiliis posteræ & consequentis vitæ capiendis susceperam; claris in urbe & potentibus viris observandis me dedissem; quod is fere ad lucem, & ad cognitionem hominum omnibus ingenuis, & præstantibus animis aditus primus, atque introitus esse videbatur; usus illorum auctoritate & consilio ad eam vitæ rationem me contuli, quæ soluta & cælebs, ac Sacerdotum ordini legibus nostris præscripta, magis etiam cum meis optimarum artium studiis, & occupationibus congruebat. Quarum ego artium amore inflammatus cetera omnia vilia, & mihi postbabenda esse ducebam. Itaque quantum mihi ab observantiæ officiis vacui & liberi temporis relinquebatur, quod erat tum quidem plurimum, totum in Philosophia, & in volutandis summorum auctorum libris, monumentisque terebam, dieque, ac noctu & Græcis & Latinis insudabam literis, semper id mihi, quod illa ætas tum ferebat, præcipue habens propositum, ut eis imitandis, quos assidue legebam, immortalitatem assequerer eandem, si possem, quam

illos videbam esse consequutos; & in cognitione quidem rerum, atque doctrina ad omnem excellentiam, in parandis vero rei familiaris copiis ad mediocritatem aliquam pervenirem. Sequuta sunt tempora, quum a Leone X. primum, deinde a Clem. VII. PP. MM. ad negotia publica vocatus, factusque Epistolarum Principalium, h. e. earum, quæ, vel ad Reges a Pontifice summis de rebus mitterentur, vel a Regibus eisdem ad Pontificem afferrentur, & lucubrator & custos. Quod munus magni sane in Urbe & honoris & nominis superioribus temporibus Magisterium scrinii, nunc a Populo Romano Secretarium Domesticum appellari video. Gratam illam admodum, & mihi non inopportunam occasionem accepi, quæ mihi datura eas exercitationes videretur, ex quibus ad ea doctrinæ studia, quæ colueram, maximarum quoque rerum usum adjungerem. Igitur XIII. annis in eo negotio versatus, quum ita & fidem meam Pontificibus, & ceteris comitatem, liberalitatemque probassem, ut omnibus perspicuum factum esset, nihil a me neque in uberrima re illiberalis compendii, neque in illo bonore fastus, sed tantum integritatis fructum & bonam existimationem esse quæsitam &c. &c.

Multa, quæ reliquit, ingenii monumenta doctis omnibus & nota & probata sunt. Vitam Sadoleti Florebellus, qui fuit ejus familiaris, scripsit eleganter, in qua specimen mihi videtur esse docti, atque integri Cardinalis. Hanc ei dignitatem contulit Paulus III. Pontifex sapientissimus, quum doctos viros, etiam la-

latentes, etiam nolentes, ad Rempublicam vocavit. Mortuus est Romæ anno MDXLVII. quum vixisset annos LXX. menses III. dies VI. sepultusque est in Templo S. Petri ad Vincula, cum hac inscriptione, quæ vitio vel hominum, vel temporum nusquam apparet:

D. C. M. S.

Jacobo Sadoleto Episcopo Carpentoractensi S. R. E. Presb. Card. viro morum gravitate prudentia & vitæ integritate præstantissimo doctrina & eloquentia cum iis quos mirata est antiquitas comparando Paulus Sadoletus Episcopus Carpentoractis & Camillus Sadoletus Fratrum filii mœstissimi multis cum lacbrymis Patruo benemerenti pro tempore posuerunt. Vixit an. LXX. menses III. *dies VI.*

Sed V. Cl. Michael Angelus Monsacratius Abbas Generalis, uti vocant, Canonicorum Regularium S. Salvatoris, civis, & affinis meus, conjectura nescio qua ductus, contendit eam Inscriptionem, quam Florebellus affert, nunquam positam fuisse. Nolo ego Florebellum defendere; utcumque tamen res ceciderit, non moleste Monsacratius feret, si multo faciliorem, sibique etiam gloriosiorem domesticæ existimationis vindicandæ rationem ostendam, quæ est ejusmodi: ut quando is summum inter suos Magistratum gerit, in Templo, quod est suorum fidei commendatum, tanti Cardinalis monumentum aut restituendum,

dum, aut ponendum omnino curet. Hoc ab illo officium suæ eruditioni, suæ dignitati debitum, non requirit modo, sed vero etiam flagitat quicquid Romæ est hominum eruditorum, atque elegantium.

ANGELUS COLOTIUS.

INter Leonis X. *Secretarios* hic est annumerandus, quem Pierius Valerianus *lib.* 1. *de infœlicitate literatorum* incomparabili probitate virum, & græce latineque doctissimum appellat. Neapoli quum esset, Academiæ celeberrimæ, quam Pontanus instituerat, ascriptus est. Literatorum amicissimus omnium fuit, quippe cui Ælius Calentius, Poeta insignis, suos quatuor Elegiarum libros, & Antonius Mancinellius sermonum Decadem, ipse denique Pontanus *de Magnanimitate* librum inscripserit. Romæ domum suam patere voluit doctis quibusque viris, cujus splendor non ineptis deliciis, sed veteris Romæ eruditis monimentis, & lectissimorum librorum copia constabat. Aliqua ejus venustissima carmina in Coryciana elegantissimorum Poetarum collectione leguntur. Eum Clemens VII. Episcopum Nucerinum fecit, atque Asculo præesse cum imperio voluit, quam provinciam sancte, prudenterque administravit. Mortuus est anno MDXLIX. Ejus vita a Federico Ubaldino conscripta typis Romanis vulgata est anno MDCLXXIII.

FRAN-

FRANCISCUS BRACCIOLINUS.

HUnc non tam suo, quam Poggii Patris nomine clarum dilexit plurimum Leo Decimus, quem, Canonicus quum esset Ecclesiæ Florentinæ, præmiis propositis Romam evocavit, & *Secretarium* esse suum voluit. Intelligentem fuisse Juris Canonici ex libro apparet, quem *de Potestate Papæ, & Concilii* conscripsit. Annos natus undeoctoginta Romæ obiit sexto Kal. Julii MDXXII. & sepultus est in Templo S. Gregorii.

ÆMILIUS FERRETIUS.

HUjus hominis, qui in Castro Franco in Etruria natus est ann. MCCCCLXXXIX. varium fuit & vitæ, & eruditionis genus. Cum literis enim humanioribus Canonici, & Civilis juris scientiam conjunxit. Adolescentulus quum esset, *Secretarius* fuit Cardinalis Salviati, deinde Jus civile docuit, propterque ingenii elegantiam a Leone X. locum habuit inter *Apostolicos Secretarios*: Quo non multos post annos relicto, in Patriam redit, unde, quum biennium illic fuisset, vim adversariorum fugiens, qui Patrem ejus interfecerant, Neapolim militatum abiit; sed profligato exercitu Lautrechii, quo ipse Imperatore merebat, captus est ab Hispanis militibus, grandique pecunia redemtus in Galliam proficiscitur, ubi benigniore fortuna usus est. A Francisco enim

Pri-

Primo Consiliarius in Curia Parmiensi factus ad Venetos, & Florentinos legatur. Postremo ad Jus civile docendum relapsus Cathedram Avenione constituit. In hujus autem Cathedræ veluti lemmate hoc est inscriptum :

Peritum orno, imperitum dedecoro.

Hujus auctoris in scribendo elegantiam ita Muretus elevat in Orat. XII. *Qui* (Ferretius v.) *si ipse tam bene latine scripsisset, quam sibi videbatur, nonnihil fortasse nos illius commoveret auctoritas. Nunc quum nonnulla quidem ita scripserit, ut eadem venus, eadem suadela, quæ in Bartoli libris sessitaverat, hujus quoque libris insedisse videatur: In quibus autem cultior, ac comtior esse voluit, ostenderit tamen, ne quid gravius dicam, se aliarum rerum, quam deliciarum latini sermonis intelligentiorem fuisse .... Bonus Jurisconsultus fuerit, nihil enim impedio: latinitatis certe non admodum idoneus existimator fuit.* Contra tanta valuit in Jure Civili vel doctrina, vel opinione doctrinæ, ut, quum ejus in docendi munere successor Simon Cravetta aliquid de hominis fama detrahere velle videretur, statim ab auditoribus exsibilatus, & deinde etiam Avenione exterminatus fuerit. Multa de Jure scripsit, sexagintaque tres annos natus Avenione obiit ann. MDLXXII. Vide Niceronium tom. v.

FRAN-

FRANCISCUS CASTELLIONENSIS FLORENTINUS.

FRanciscus Dantis Guidonis a Castellione nobilis Florentinus, dignus Victorini Feltrensis discipulus, pietate, doctrina, atque humanitate præclarus, inter illustres Innocentii VIII., & Leonis X. * *Secretarios* annumeratur; & non immerito quidem, cum multa pie, atque iis temporibus eleganter conscripserit; præsertim vero vitas sanctorum virorum, hoc est, *Sancti Dominici*, *Sancti Vincentii*, *Sancti Petri Martyris*, *ac S. Thomæ Aquinatis*, aliaque non pauca, quæ in manus hominum pervenerunt. Mirum est Cardinalis Papiensis judicium de hoc scriptionis genere. Ita enim sua quadam epistola ad eumdem Franciscum loquitur: *Requiris quid de tuis Opusculis sentiam, genus dicendi probo; vitam Vincentii Confessoris probo; quid ni hæc probem? Stylus laudatur a doctis. Officia religione sunt plena. Vincentium inter Sanctos Ecclesia retulit. Cetera alia sunt, quæ a te magis Papiensis exposcit. In minutis exiguus est tum labor, tum commendatio: tum vero etiam fructus. Ad quamdam quasi majorem quietem hæ scriptiunculæ suscipi solent: non ad ja-*

* Vix fieri posse videtur, ut Castellionensis, qui Leoni X. operam navavit, idem sit ac Franciscus Victorini Feltrensis discipulus, qui quum jam floreret an. MCDXL X. potuisset quidem Innocentio VIII. operam tribuere: veruntamen id fecisse non satis constat.

satisfactionem expectationis. Grandius aliquid adorire dignum ætate tua, elegantia quoque, & cathedra, quam in Domo Domini professus es. Colligere ex his potes, cur aliquando rescribere distuleram. Panegyricum canere de parvis non possum.

Sed de Francisco Castellionensi consulendus Salvinus Salvinius vir magnopere eruditus, & Florentinarum antiquitatum investigator sane diligens.

BENEDICTUS ACCOLTUS CARDINALIS.

BEnedictus Accoltus Arretinus origine, sed Florentiæ natus IV. Calend. Novemb. an. MCCCCXCVII. postquam politioribus literis, Philosophia, Jurisprudentia, ceterisque artibus, quibus ætas puerilis informari solet, liberalissime institutus Pisis fuisset, Romam venit, ubi a Leone X. admodum adolescens Gaditanus primum Episcopus, deinde Cremonensis est factus: ab Adriano vero VI. Ravennæ Archiepiscopus, sibique a *Secretis*: quo in munere, quum Clemente VII. Pontifice una cum Sadoleto versatus aliquantum esset, ageretque trigesimum ætatis annum III. Nonas Majas an. MDXXVII., inter Cardinales cooptatus est, missusque in Picenum Legatus a latere. De hujus porro Legationis administratione cum illi postea lis intentata esset ab Hippolyto Cardinali Mediceo, die 15. Aprilis ann. 1535. in Arcem Adrianam detrusus est, a qua die ultima Octobris, ut narrat Felix Contelorius parte secun-

cunda Elenchi *S. R. E. Card. dimissus fuit, cum prius se errasse, ac deliquisse fuisset confessus, ac persolutis Ducatis novem & quinquaginta millibus auri solidi.* Molza vero, qui Card. Hippolyto erat ex intimis familiaribus, plenam veneni orationem scripsit, in eumque invectus est tamquam depeculatorem, vexatoremque totius Piceni. Ceterum summis Principibus, ac Carolo V. Imperatori fuit in primis carus, cum ob miram in rebus gerendis solertiam, tum ob eximiam eruditionem. Literas nunquam non coluit, quibus liquida quadam voluptate perfundi se affirmabat. Cum esset admodum dives pecuniam in literatos homines large effundebat, quos etiam frequentissime in convivium adhibebat. Qua de re perlegenda est epistola quædam Angeli Florentiolæ nuncupatoria, quam primum nuper in lucem edidit Petrus Antonius Serrasius, vir sane eruditus, & amicissimus meus, qui tam uberem ac mirificam clarissimorum virorum, qui sæculo XVI. floruerunt, notitiam habet, ut cum iis vixisse, & versari etiam num videatur: En verba ista epistolæ: *Egli non è molto tempo, che ritrovandomi alla tavola del mio Gentil Signore, il Sig. Arcivescovo di Ravenna, dove per sua liberalità, e gentilezza è sempre il fiore de' più purgati Spiriti dell' Accademia Romana, a' quali egli e coll' ingegno, e colle lettere fa ottimo paragone &c.*

Etiam Marcus Antonius Flaminius Scypho aureo donatus hoc illi epigramma eucharisticum scripsit:

Hanc

Hanc pateram chio ſpumantem auroq. nitentem
Accoltus vati donat habere ſuo.

Ipſe meri partem libo tibi candide Liber,
Et partem libo pulcher Apollo tibi.

Vos pateram contra muſarum nectare dulci
Implete, & large proluite ora mihi;

Accolto dignas ut ſolvam carmine grates,
Carmine quod poſſit nulla abolere dies.

Florentiæ diem extremum obiit an. MDXLIX. ætatis vero ſuæ LII. Longum nimis eſſet ornatiſſima literatorum hominum de Benedicto Accolto judicia ſingillatim percenſere. Omnes tamen cum Lilio Gyraldo ferme conſentiunt, qui dum de Poetis ſui temporis diſſerit Dialog. 2. *Quis*, inquit, *non inter primos Epigrammatum, & Elegiarum poetas commemoret Benedictum Accoltum Ravennæ Cardinalem? Quis cultior? politior? Extant, & perleguntur ejus carmina mira concinnitate compoſita. Mitto nunc ſolutam orationem, qua pene omnem Ciceronis phraſim eſt aſſequutus; quod manifeſtant ejus Epiſtolæ, & Libelli; mitto, qua benevolentia ſemper doctos eſt proſequutus &c.*

Nonnulla & verſu, & proſa ſcripſit, ab omnibuſque ejus temporis viris & dilectus, & laudatus eſt. Extat Epiſtola etruſce ſcripta Hieronymi Nigri, in qua illum *Sadoleti Bibulum* appellat, id quod in Dialogo memoravimus.

PAU-

PAULUS VALDARABINUS.

INterfectum hunc fuiſſe in direptione Borbonia, & *Secretarium* præterea fuiſſe Clementis VII. qui tum erat Pontifex, ex Torrigio novimus, *Grotte Vaticane* part. 2. cap. 8. pag. 262. Nos autem Fratrem, vel agnatum fuiſſe ſuſpicamur Gerii illius, quem Valdambrinium, atque Arretinum domo, virumque in literarum ſtudiis toto vitæ tempore verſatum, & Clementi VII. percarum narrat Pierius Valerianus lib. 2. *de literatorum infœlicitate*; cujus etiam repentinam, atque immaturam mortem altero ejuſdem Clementis VII. Pontificatus anno accidiſſe commemorat. Certe nominis ſimilitudo, benevolentia Pontificis, multaque alia concurrunt, quare hæc mea ſuſpicio non omnino inanis videri poſſit.

FABIUS VIGIL SPOLETINUS.

HIC quoque in claris habitus eſt *Secretariis* Pontificiis, ejuſque opera uſus eſt Paulus III. Poeta fuit elegantiſſimi ingenii. In libello, cujus ſupra mentionem fecimus, qui Coryciana inſcribitur, & eſt admodum rarus, nonnulla ejus leguntur carmina, nonnullaque alia ab eo ſcripta eſſe Ughellius affirmat. Eundem hunc eſſe arbitror, atque illum, quem Sadoletus in Italica quadam Epiſtola *Meſſer Fabiano da Spoleti* appellat, & *Secretarium* eſſe ait Pontificis, *lett. de'* XIII. *Uomini*

N *il-*

illustri lib. 6. Ughellio teste, Episcopus primum Fulginas, deinde Spoletinus fuit. Romæ demum obiit singulari eruditionis fama.

BLOSIUS PALLADIUS SABINUS.

CAstro veteri in Sabinis ortus Palladius Poetica facultate maxime valuit, suisque carminibus Suburbanum Augustini Chisii illustravit. Præterea habet Coryciana aliquot ejus Hendecasyllabos, atque Epigrammata. A Paulo III., cujus fuit *Secretarius*, Episcopatu Fulginati auctus est; quo abdicato, Romam se contulit, ubi obiit anno MDL. sepultusque est in Templo S. Mariæ in Aquiro, uti constat ex Inscriptione, quæ consequitur:

D. O. M.
Blosio Palladio Sabino Præsuli Fulginat. Clement. VII. Pauli III. Jul. III. Pontif. a secretis, viro in omni vita probatissimo, incurabilium, Orphanorumque socii hæredes posuere MDL.

JOANNES MATTHÆUS GIBERTUS ET JOANNES BAPTISTA SANGA ROMANUS.

NOnnullæ Epistolæ Leonis X. P. M. nomine a Joanne Matthæo Giberto conscriptæ in Bibliothecis Florentinis asservantur. Fuit autem Gibertus vir acri ingenio, summâ de-

dexteritate, nec mediocribus literis. Sæpe in maximis negociis adhibitus, Clementi VII. P. M. a Beneficiis conſignandis fuit, ab eodemque ampliſſimum apud Veronenſes Sacerdotium obtinuit ann. MDXXIV. Huic Joannes Baptiſta Sanga Romanus, natus circa ann. MCDXCV. erat ab Epiſtolis, adhuc adoleſcens, ejuſque perpetuus exſtitit comes in legationibus, quas religionis cauſſa plurimas Gibertus obiit. In eodem deinde munere egregiam operam Clementi VII. præſtitit, ſcripſitque illius nomine quamplures graviſſimas epiſtolas; quarum aliquæ in lucem editæ ſunt, aliæ manuſcriptæ in Bibliotheca Vaticana aſſervantur. Bembo, Sadoleto, Molzæ, Bernio, cæteriſque, qui ea ætate politioris doctrinæ laude præſtitere, cariſſimus fuit. Arioſtus etiam poſtremo ſui poematis cantu Sangæ meminit.

E par che anch' io ci ſcerna
Marc' Antonio Flaminio, il Sanga, e 'l Berna.

In ipſo ætatis flore veneno infeliciſſime ſublatus eſt: Qua de re operæ pretium erit perlegere quid Hieronymus Mutius ad Marcum Ottonellum Vidam ſcripſerit:

Voi conoſceſte il Sanga, e ſapete l' amicizia, che era fra M. Aurelio (Vergerio), e lui. Il Sanga aveva una Femina, alla quale egli voleva tutto il ſuo bene, e per amor di colei egli viveva dalla propria Madre ſeparato, di che quella buona Donna ne ſentiva ineſtimabil dolore: ed aveva Ella per coſtante, che quella Gio-

vane avesse con malìe recato il Figliuolo a così ferventemente amarla. Nè potendo lungamente questa cosa sopportare, si deliberò di tor la vita a Lei, che gli toglieva il Figliuolo. E del tutto con Lei infingendosi, e tutta amorevole a lei dimostrandosi, un dì dopo desinare, spiato, che il Figliuolo non vi fosse, sotto specie di visitazione, secondo, che Ella alcuna volta era usata di fare andò a Lei, e portolle da fare una insalatuzza la più bella, che si potesse vedere. Avendola la Giovane veduta, ed essendole piaciuta assai, la Vecchia le disse: Figliuola mia, io l'ho colta con le mie mani, e portatalati acciocchè tu te ne merendi. E la Giovane disse, che fatto l'avrebbe di voglia. La Vecchia quivi poco dimoratasi, se ne andò, e la Giovane senza da poi mettervi molto indugio si diede ad acconciare quella sua insalata. Ed ecco appena di poste le cose per quella infelice merenda sopragiungere il Sanga, e il Vergerio, e trovato quello apprestamento le cominciarono ridendo a dire: A questo modo? voi vi credevate farla senza Noi, ma ella non vi andrà fatta questa volta: anche Noi ci vogliamo la parte nostra di questa così bella insalata. E così scherzando, e motteggiando con Colei, insieme con Lei cominciarono a mangiare la insalata più bella, che buona; nè di quella altro ne rimase, che un pocolin di aceto, nel quale un Ragazzo intinse del pane. E la insalata, che prima dalla Vecchia era stata salata di altro, che di sale, acconciò coloro in maniera, che in pochissimi giorni il Vergerio, il Sanga,
la

la Giovane, ed il Ragazzo, senza intendersi quale fosse il loro male, se ne morirono.

MARCUS AURELIUS VERGERIUS.

MArcus Aurelius Vergerius Vergerii illius, qui a Catholica Religione turpissime descivit, germanus Frater, Academico nomine Favonius dictus, Clementi VII. fuit a *Secretis*, ut ex Epitaphio, quod in æde S. Mariæ supra Minervam perlegitur, satis constat:

M. Aurelio Vergerio Justinopolitano
Clementi VII. Pont. Max.
A Secretis acerba morte intercepto
Dum id munus
Cum summa omnium admiratione obiret
Joannes Baptista Episcopus Polæ
Et Petrus Paulus Vergerius
J. C.
Fratri B. M. posuere
Qui vixit A. XLI.

De genere mortis nuper dictum est, cum de Sanga fuit sermo: utrumque vero an. MDXXXII. mense Augusti obiisse scribit Gibertus. Aliquæ tantum Vergerii literæ in manus hominum pervenere, quæ inter illas XIII. Virorum illustrium, atque in Pini collectione locum obtinent.

PETRUS CARNESECCA.

DIU anceps fui utrum inter Claros Pontificiarum Scriptores Epiſtolarum Petri Carneſeccæ nomen adſcriberem, quem ſceleris, & ſupplicii infamia dedecoravit magis, quam ingenii, doctrinæ, & muneris ſplendor nobilitaret.

Certe Muretus ſuo eum nomine appellare nefas habuit, quod ex ea epiſtola intelligitur, cujus verba huc afferuntur:

„ Erat & ad Petrum τὸν ξηροχρέων (finge „ aliquod ejuſmodi nomen aut latinum, aut „ vernaculum, ita quem dicam intelliges) O- „ de una jampridem ſcripta, de qua quid fa- „ ciam neſcio. Nam neque cum homine, in „ eam ſuſpicionem adducto, niſi prius de il- „ lius innocentia conſtiterit, quicquam mihi „ negotii eſſe volo, & perire eam, etſi nihil „ eſt, nollem „.

Ego vero ſilentio illum non prætereundum exiſtimavi hanc ſaltem ob cauſam, quod triſtis ac luctuoſus hominis exitus deterrere poteſt eos, qui doctrina, & ingenio ad violandam Religionem abutuntur. Fuit igitur Petrus Carneſecca cum forma eximia corporis, tum ingenio propemodum ſingulari. Itaque quas vehementer appetebat principum virorum amicitias ac familiaritates, facile conſequutus eſt. Clementi VII. a *Secretis* cum eſſet, totum ferme ipſius Pontificatum adminiſtraſſe memoratur. Ter violatæ Religionis factus eſt

reus;

reus; primum sub Paulo III. apud quem cum se rite purgasset, absolutus est; iterum sub Paulo IV., a quo sibi admodum metuens Romam, quo accersitus erat, venire recusavit; tertio denique sub Pio V. capite pœnas dedit.

BERNARDINUS MAFFÆUS CARDINALIS.

ROmæ natus Romanæ hic antiquitatis amator fuit, quam adeo diligenter habuit cognitam, ut eam valde illustraverit eo volumine, quod *de Inscriptionibus, & imaginibus antiquorum numismatum* scripsit. Quam vero fuerit veterum & oratorum, & poetarum excellens imitator, ex epistolis, orationibus, & carminibus cognoscimus, iisque animadversionibus, quibus explicavit Ciceronem, exemplum in scribendo unicum suum. In Bibliotheca Vaticana MS. elogium extat, ex quo multa possunt percipi, quæ ad diligentiorem hujusce Cardinalis notitiam pertinent. Quum aliquot annos Alexandro Farnesio Cardinali, Pauli III. Pontificis Nepoti, operam suam in conscribendis epistolis probasset, ab eodem Paulo III. Canonicus S. Petri, Episcopus Massensis, *Secretarius* suus, ac demum Cardinalis factus est. Morum sanctitatis nullum afferre majus testimonium possumus, quam quod S. Ignatii amicissimus fuerit. Magnum denique sui desiderium reliquit, quum quadraginta nondum annos natus Romæ obiit XVII. Kal. Augusti an. MDLII. sepultus est in Tem-

plo S. Mariæ ad Minervam, atque in monumento hoc extat elogium:

D. O. M.

Bernardino Hieronymi Filio Massæo
S. R. E. Presbytero Cardinali. Vixit
Annos XXXIX. menses V. dies XX.
Obiit XVII. Kal. Augusti MDLII.

MARCELLUS II. PONTIFEX.

MArcellum Cervinum Senenses suum, Politiani suum, Montis item Fani homines in Piceno suum dicunt esse. Et illi, quod apud se educatus fuerit in nobilissima Spannocchiorum domo, eamque ob caussam dici ipse voluerit *Cervinus de Spannocchiis*: Alii, quod Cervinorum familia antiquissima in ea civitate sit: Postremi autem, quod eo in loco natus fuerit. Sed illum Pontificiarum Epistolarum Scriptorem constat fuisse; idque potissimum habemus ex Oratione Julii Pogiani in ejus funere: *Hunc* (ait enim) *tum quatuor, & triginta annos natum excitatum a doctrinæ studiis* Pontificiæ Scriptioni, *& Reipublicæ Pontifex præfecit. Quibus in actionibus ita se gessit, ut cum cetera Paulus laudaret, prudentiam, & auctoritatem obstupesceret.* Ab eodem Pontifice Cardinalis factus, Pontificatum ipse, mortuo Julio III., adeptus est, nimis quidem brevem, quippe dierum XXII. sed in quo magna spes, & prope explorata rerum optimarum ostendebatur. Erit etiam non vulgare Cerviniæ gentis ornamentum, quod non solum Marcellum pro-

protulerit Pontificem tam insignem, sed Pontificis Sororem Cynthiam, quæ Robertum Bellarminum peperit, sanctissimum doctissimumque Cardinalem, magnum illud Romanæ Ecclesiæ lumen, & decus. Marcelli vitam nuper accurate scripsit Petrus Pollidorus. Mortuus Romæ est, sepultusque in Templo Vaticano cum hac Inscriptione:

Marcellus II. Cervinus
Politianus
Pontifex Maximus
Sedit dies XXII.
Vixit annos LIV.
Obiit Kal. Maii MDLIV.

NICOLAUS ARDINGHELLUS.

NIcolaum Ardinghellum Florentiæ nobili genere natum litterisque cum græcis, tum latinis egregiè eruditum satis constat fuisse a *Secretis* Paullo III. qui illum Alexandro Card. Farnesio Nep. addixit, mòx ad Franciscum I. Galliæ Regem legavit, tum ann. MDXLVII. Purpura ornavit. Cetera, quæ ad ipsius vitam pertinent, repeti facile possunt ex prolixa sepulchrali Inscriptione in æde S. Mariæ supra Minervam:

D. O. M.

Nicolao Ardinghello Florentino primariæ Nobilitatis viro, quem juris utriusque Consultissimum, omnique virtutis, ac Sapientiæ laude præstantem ad Episcopatum Foro-

Forosemproniensem provectum, cum Paulus III.
Pont. Max. Piceno primum cum honore
Variæ Legationis imponeret,
Deinde supplicum libellis præficeret,
Demum in sacrum Cardinalium Collegium
Adoptaret, Tituloque S. Apollinaris
Insigniret, non tam hominem, quam
Honorem cohonestare visus est. Annos
Natus quatuor & quadraginta in medio
Virtutum, & honorum ereptus acerbum
Sui desiderium reliquit omnibus decimo Kal.
Septembris MDXLVII. Alexander Ruspulus
Bartholomæi, & Mariæ Ardinghelliæ Filius ob
Memoriam erga consanguineam optimam
Voluntatem pos. an. post
Conditam salutem MDCI.

LATINUS JUVENALIS.

HUnc hominem Legationibus in Germania obitis satis nobilem Paulo III. ab *Epistolis* fuisse, ex literis intelligitur Episcopi Theatini (qui deinde fuit Paulus IV.) Ad literas enim a Paulo III. sibi missas, ut Romam veniret, ita respondet: *Misit nuper ad me vir clarus Latinus Juvenalis Sanctitatis Vestræ* Secretarius &c. In vita Pauli IV. lib. V. pag. 275.

RO-

ROMULUS AMASÆUS UTINENSIS.

HIC græcas, latinasque literas publice docuit Patavii, & Bononiæ, qua in Urbe *Secretarius* etiam Senatus fuit. Erat enim Bononia oriundus. Romam deinde a Paulo III. evocatus eloquentiam docuit, annuo sexcentum nummum aureorum stipendio decreto, ab eodemque Pontifice Alexandro Farnesio Præceptor datus est. Qua ex re crevit adeo non solum fama doctrinæ, sed etiam auctoritate, & prudentia, ut ad Imperatorem, Germaniæque Principes, atque ad Poloniæ Regem magnis de rebus a Pontifice mitteretur. Hunc autem *Secretarium* suum fecit Julius III. ann. MDL. Quem locum tenuit annos duos. Mortuus est enim an. MDLII. uti constat ex Epistola Antonii Seronis, quæ extat in Collectione Epistolarum Italicarum, quam emisit Franciscus Turchius. In quo error deprehenditur Thuani, qui eum mortuum esse narrat an. MDLVIII. Vixit autem annos LXIII. Scripsit *orationum volumen*, & *scholas duas de ratione instituendi*. Pausaniæ *descriptionem Græciæ* latine vertit. Quod tamen majore elegantia præstitisse existimatur, quam fide. Xenophontis etiam *de Expeditione Cyri* libros septem latinos fecit. Denique inter Epistolas clarorum virorum selectas, quæ in lucem prodierunt Coloniæ MDLXIX. nonnullæ etiam Romuli Amasæi annumerantur.

PAU-

PAULUS SADOLETUS.

HIC acceptam a Patruo Jacobo Cardinali Sadoleto gloriam auxit virtute, atque industria sua. Neque enim illi solum in Episcopatu Carpentoractensi successor fuit, sed in munere etiam scribendi Pontificias Epistolas, ad quod munus Romam est a Julio III. Pontifice evocatus. Id facile intelligitur ex iis literis, quas italice conscriptas an. MDLII. Paulus Sadoletus hac de re ad Hieronymum Cardinalem Dandinum dedit, & nos afferendas existimavimus.

A Monsſ. Girolamo Card. Dandino.

PER la lettera di V. S. R. de' XXV. del passato scritta di man sua, e con la sua rara, & incomparabile gentilezza & dolcezza, veggo l' onorato peso, ch' è piaciuto a N. S. d' impormi, chiamandomi al luogo di suo Secretario. *Del qual honorato giudicio, oltra l' infinita & principale obligazione, ch' io mi sento haver' alla benignità, & beneficenzia sua, io so bene, quanta parte io ne riconosca dallo amore & affezione fraterna di V. S. R. verso di me, & dal suo desiderio del ben mio. Io accetto tutto per bene, & voglio credere, & sperare, che sia per nostra salute quello, che senza alcuna opera nostra è ordinato dal Signore Dio, massimamente col mezzo di cooperatori sì degni, & di sì buona mente. Ben dico a V. S. R. che s' ella*

la

la haveſſe una volta guſtato, quali ſieno i piaceri, e le ſincere dilettazioni, & dolcezze di queſta vita, libera da i negocj, & dalle ſervitù humane, & ſerva di Dio, & del proprio, & principale officio della vocazion noſtra, il che tanto più poi ſentono coloro, che ſono di più pura vita, che non ſon io; ella ſaria forſe andata più ritenuta in turbare queſto ſtato a un ſuo sì caro amico. Ma di queſto parleremo più lungamente in preſenzia. Vegga pur V. S. R. di non havere per ſoverchio amore ampliato troppo il ſuo teſtimonio di me, perciò che s' io m' accorgo, che ella habbia promeſſo per me di troppo gran ſomma, ſarà forza per poterla pagare, che io mi rivolti ad improntar da lei della ſufficienzia, & eloquenzia ſua. V. S. R. vedrà per la mia riſpoſta al Breve di Sua Santità, come io m' inclino a fare la obedienza, tratto in vero più dall' amor di Sua Beatitudine, ond' io ſon preſo, per così amorevole ſua dimoſtrazione verſo me, che da alcun' altro obietto, non eſſendo mai i diſegni, & deſiderj miei uſciti de' termini della mediocrità, parendomi, che in quella conſiſta la vita più felice. Deſidero, & così commetto al mio M. Giacopo Sacrato, che la detta mia lettera ſia preſentata a Sua Santità per mano di V. S. R. accio col mezzo della deſtra maniera ſua le ſia tanto più grata, & ancora acciocchè V. S. R. poſſa fare la ſcuſa della tardanza d' eſſa mia riſpoſta, la quale è ſtata cauſata dal ritenimento del Breve, che da Lione infin quì è ſtato per via XIV. giorni, come ella potrà vedere per l' incluſa ſede di chi me l' ha

dato.

dato. Et perchè io vengo con disegno di accostarmi quanto più mi sarà lecito, & di star fisso al lato di Sua Santità per lo gran desiderio, ch' io ho di mostrarmele grato, mi saria caro d' haver qualche stanza in Palazzo, dove potessi habitare non incomodamente, & con qualche poco di decoro, volendo io nel resto non perdonare a spesa secondo le facoltà mie, per farle honore. In questo se Vostra Signoria Reverend. mi potrà ajutare, con usare però ogni modestia, & pudore a mio nome nel domandare, havendo ricorso ancora al patrocinio del Reverendiss. & Illustriss. Card. di Monte, mio Signore così humanamente, & spontaneamente con lettere da Sua Signoria Reverendiss. offertomi, certo ella mi sarà cosa sommamente desiderata, & cara. In buona grazia della quale con tutto il cuore mi raccomando sempre. Di Carpentras, a' XXX. d' Agosto MDLII.

Extant Epistolæ aliquot a Paulo Sadoleto Pontificis nomine conscriptæ, sed una præsertim laudatur accurata, & copiosa data ad Reginaldum Cardinalem Polum de Angliæ Regno ad catholicam Religionem reducendo. Illud certe constat, Paulum Sadoletum fuisse hominem divinarum humanarumque rerum peritum, doctum, eloquentem; nec non in paucis, quæ scripsit, disciplinam omnem, & quasi imaginem Patrui expressisse.

JOAN-

JOANNES FRANCISCUS BINIUS.

HIC etiam extitit ex eadem Card. Sadoleti diſciplina, cui in munere conſcribendi Pontificias Epiſtolas ſucceſſit. Ad hanc rem apertiſſime declarandam, nec non ad magnam hominis laudem valet Epiſtola, quam Jacobus Sadoletus ad Cardinalem Trivultium de Binio Italice ſcripſit, & hæc eſt:

Al Cardinal Trivultio.

PEnſo, che voſtra Signoria Reverendiſſima ſappia la ſtretta famigliarità, che hebbe meco M. Gio. Franceſco Bini, mentre io era in Roma, e l' amore, ch' io li portava, e la ſtima, ch' io faceva di lui per la ſua virtù, ſoſſicienza, & integrità; le quali coſe erano in lui tali, che io in tutto quel tempo, che ſtetti nell' officio di Secretario ſotto Clemente, felice memoria, mi valſi molto, con mia gran comodità, & honore, dell' opera, & induſtria ſua in quello eſercizio, eſſendo lo ſtil di lui accettato per mio, & quando partii di là, eſſo meritò d' eſſer nel detto officio in gran parte mio ſucceſſore, eſſendo chiamato al ſervizio più ſecreto, e più famigliare di Sua Santità. Nel qual luogo con quanta fede, & diligenzia ſi ſia ſempre portato, non dubito che Voſtra Sig. Reverendiſſima, che è ſtata preſente, lo ſappia ancor meglio di me. Ora eſſendo egli per la morte di Sua Santità rimaſo ſenza patrone, e quel che più m' increſce ſenza premio

della

della servitù sua pari alla sua virtù, non posso fare di non ripigliar pensiero di lui & delle cose sue, & di non cercare con ogni mia opera d' ajutarlo, dove io ne vegga l' occasione. E però credendosi, per la elezione fatta hora da N. Sig. di M. Fabiano da Spoleti per suo Secretario, che il vostro sacro Collegio vorrà in luogo di lui proveder d' un' altro nell' officio del Chericato, che il detto M. Fabiano teneva prima, ho voluto raccomandare in questo a Vostra Signoria Reverendissima il mio sopradetto M. Bino, & pregarla con ogni mia affezione, & studio, che accadendo, che si faccia elezione d' alcuno, ella voglia per amor mio, con l' autorità, e favor suo, fare opera, ch' ei sia preferito & eletto a quello officio, al quale è attissimo, e sufficiente.

Ceterum Binius homo promto ingenio fuit, & non inexercitatus ad latine scribendum. Poeta etiam etruscus habitus est elegans, & facetus.

Ex inscriptione sepulchri, quod positum illi fuit in Templo S. Mariæ Majoris, colligimus & ejusdem Basilicæ Canonicum, & trium Pontificum Julii Tertii, Marcelli Secundi, Pauli Quarti, nec non sacri Cardinalium Senatus *Secretarium* fuisse. Inscriptionem legimus in Schradero fol. 150.

Joanni Francisco Bino Florentino Civi Romano hujus ædis Sacerdoti Canonico, viro bono docto atque urbano, ob probatos mores puramque orationem Summorum trium Pontificum Julii III. Marcelli II. Pauli IIII.

ac

ac sacri Senatus scribæ
Margarita Soror Fratri Optimo.

TRIPHO BENCIUS.

TRipho Bencius Assisii natus ab anno MDXXX. ad MDLXX. floruit, fuitque non paucis Pontificibus, ac præcipue Julio III. a secretis, ac Magister Cyfræ. Semel Cameracum anno MDXXXIII. iterum in Germaniam anno MDXLI. profectus est Christianæ Reipublicæ causa. Triphonis habitum corporis atque ingenii Marcus Antonius Flaminius ita descripsit:

O dentatior & Lupis, & Apris,
O setosior hirco olente, & idem
Tamen deliciæ novem Dearum,
Quæ Sylvam aoniam colunt, & idem
Amores boni Apollinis.

Mores vero Pompejus Arnolphinus:

Ut me perpetuo tibi obligasti,
Non tantum omnigena eruditione,
Quam morum probitate, candidoque
Et præstante animi tui nitore,
Quo sic Socraticum sapis leporem,
Ut sæpe in dubium voces apud me,
An Triphon mage Socratem æmuletur,
Socrates magis an suum Triphonem.

O Quam-

Quamquam plurima carmina felici, facillimaque vena scripserit, ut M. Antonius Flaminius, Annibal Carus, aliique tradunt; vix pauca ad nos pervenere.

GALEATIUS FLORIMONTES.

GAleatius Florimontes obscuris natalibus Sessæ ortus, sed ingenii doctrinæque præstantia ac probitate elegantiaque morum clarissimus primum Alphonso Avalo fuit a consiliis, deinde ex Giberti intimis familiaribus, postremo a Paulo III. legibus Canonicis solutus, quibus vitio natalium ab Episcopatu prohibebatur, factus est Aquini Episcopus; atque inter quatuor Judices Concilii Tridentini cooptatus. Julius III. hujus opera *in conscribendis Epistolis* usus est, eumque ab Aquini Sede ad Patriæ Episcopatum traduxit. Post Julii III. mortem cum Florimontes Sessam se recepisset, iterum a Paulo IV. Romam evocatur, ut una cum Episcopo Carpentoractensi ad res Ecclesiasticas componendas proficisceretur in Galliam. Quo munere perfunctus cum fuisset, Sessam rediit, a qua Ecclesia ne amplius divelleretur, Archiepiscopatum Brundusinum a Philippo II. Hispaniarum Rege sibi oblatum, constanter recusavit. Denique admodum senex, cum paulo ante Episcopatu se abdicasset, summum an. MIↃLXVII. moriens bonis omnibus desiderium reliquit sui.

Ferunt Florimontem auctorem fuisse Joanni Casæ amicissimo homini perelegantis illius Li-

Libelli concinnandi, qui Galathæus inscribitur.

Est hujus quidem Florimontis vita accurate eleganterque descripta in ejusdem libri præfatione, qui liber nuper ex Romana Palladis Typographia in lucem prodiit. Pulcherrimæ autem præfationis Auctor est Nicolaus Rossius, quicum pervetus mihi amicitia, & consuetudo est, Cardinalis Andreæ Corsinii, quem honoris caussa nomino, ab *Epistolis*, & propter singularem eruditionem, atque elegans tum latine tum etrusce scribendi genus dignus sane, qui cum iis Epistolarum Scriptoribus conferatur, quos Sæculo XVI. floruisse accepimus.

Extant adhuc Platonis Dialogi, atque Homiliæ nonnullæ a Florimonte italice versæ, tum Commentarius in Ethicam Aristotelis, atque epistola parænetica ad Bernardinum Ocellum, sive Ochinum.

JOANNES CASA.

QUI vir, quantusque in literis fuerit Joannes Casa Florentinus nemo ignorare potest, quin sit omnis omnino expers eruditionis. Nos de summo viro ea tantum, quæ ad nostrum institutum pertinent, breviter persequemur. Is itaque inter Scriptores Epistolarum Pontificiarum cooptatus, admissusque fuit postrid. Nonas Septembr. an. MDXL. successitque in locum Ugonis Ep. Regiensis: Sed munere abdicavit an. MDLII. ut in eum locum succederet Hannibal Oricellarius, quem,

Sororis Filium magnopere diligebat. Hæc omnia constant è Romano quodam Regestorum, ut ajunt, volumine. Neque tamen Joannes ipsis annis XII. quibus in eorum Scriptorum Collegio fuisse novimus, Epistolis conscribendis Pontificiis operam navasse videtur: Nam fere semper abfuit; quod Legatum Pauli III. & Julii III. PP. MM. apud Venetos egerit. Quatuor autem Epistolæ quæ Pauli IV. nomine ad Herculem Estensem, Ferrariæ Ducem, ab eo conscriptæ circumferuntur, quum habeant adscriptum annum MDLIV. ad id tempus referri debent, quo ipse Venetà obita legatione Pauli IV. primus erat in imperio Administer, quo in munere obiit an. MDLVI. Apud Beneventanos Sacerdotium amplissimum gerebat, fuitque sanè & Orator, & Poeta summus cum latinè, tum hetruscè.

LUDOVICUS LIPPOMANUS, ET ANGELUS MASSARELLUS.

PAuli IV. Pontificis Maximi nomine nonnullæ habentur Epistolæ a Ludovico Lippomano conscriptæ, qui Veronens. & Bergom. fuit Antistes, multaque pietatis monumenta reliquit. Ab eodem autem Paulo IV. Angelus Massarellus *Secretarius* delectus est, atque Episcopus factus Telesinus. Ita de illo Ughellius: *Angelus Massarellus Septempedanus Picenus Patriam illustravit gloria doctrinæ, & eruditionis fere omnigenæ commendatione. Ex Priore Collegiatæ Ecclesiæ suæ Patriæ adlectus*

est

est Episcopus Telesinus a Paulo Quarto, CUJUS ERAT A SECRETIS, die xv. Decembris MDLVI. Sub Pio Quarto Concilii Tridentini Secretarius fuit, cujus acta stylo facundo, & nobili conscripsit.

Angeli Massarelli ms. *Diarium* ab obitu Julii III. usque ad an. MDLXI. de rebus Concilii Tridentini adservatur in Tabulario Vaticano; ejusque exemplum unum in Burghesiana Bibliotheca extare dicitur. Sed Ughellii testimonium persequamur.

Tandem fama, ac laboribus onustus Romæ mortalitatem explevit anno MDLXVI. honorifice tumulatus in æde Aracœlitana, hoc ad sepulchrum habet Epitaphium:

D. O. M.

Angelo Massarello Sanseverinati in Picentibus juris utriusque Doct. Episcopo Telesino Christiana pietate ac doctrina insigni, qui cum Julii III. Marcelli II. & Pauli III. Summorum Pont. a secretis fuisset, eodem Secretarii munere in sacro Concilio Tridentino functus est, in quo ita se gessit, ut nihil eorum, quæ in ipso Concilio acta sunt, vel minimum desideretur. Michael Angelus, & Cynthius Pamphilus sororis filius fratri & avunculo de se optime merito mœrentes posuere. Vixit an. LVI. ob. XVII. Kal. Augusti MDLXVI.

Neque tamen prætereundum est perhonorificum testimonium Panvinii. *Magna post hæc*

abenda est gratia ab omnibus Historiæ Ecclesiasticæ studiosis Angelo Massarello Sanseverinati Piceno Romani Pontificis a secretis, cujus beneficio, & singulari caritate, ut est vir omnium humanissimus, adjutus sum, quum in omni hoc opere conficiendo, tum præsertim in hac parte, quæ eorum Pontificum & Cardinalium seriem continet, qui absentes ad Urbe in Galliis Avenione commorati sunt; me enim benigne, & amice juvit, mihique multa, quæ ipse in hac materia congregaverat, libenter tribuit. Nam inter cæteras Urbani V. Gregorii XI. Clem. VI. & Benedicti XI. dicti XIII. creationes mihi accommodavit, quarum ita distinctam notitiam antea non habebam.

JULIUS CANANIUS CARD.

TOtam hujus *Secretarii* quasi vitam intueri licet in Epitaphio bene longo, quod Ferrariæ in ejus sepulchro inscriptum est:

D. I.

Julio Canano nobili Ferrarien. S. R. E. Tit. S. Anastasiæ Presbyt. Card. ex Cananorum Bizanthii stirpe Palæologis Imperatoribus una propagata. Qui Julio III. Pont. Max. juvenis admodum a SECRETIS adeo acceptus inservivit, ut in eum Pontificiam auctoritatem, supplicationes quascunque, scripturasque signandi fidenter effuderit. Qui Adriæ & Mutinæ

Epi-

Episcopatus veneficia cohibendo, hæreses extirpando, ac templa restituendo vigilanter rexit. Qui a Gregorio XIII. postrema illa promotione inter Cardinales cooptatus fuit. Qui denique Sixti V. Legatus Æmiliam tum æque justeque est moderatus, ut nomen ejus perpetuo gloriosum sit permansurum. Alexander S. Jacobi Eques, & Sapientum judex fratri optimo gratæ testificationis ergo P. J. vixit annos LXVIII. obiit V. Kal. Decembris MDXCII.

Nos addimus, quod Elogii auctor prætermisit, Cananii fortunæ initium ex eo peti debere, quod ab epistolis fuerit primum Balduino de Monte, deinde Balduini fratri Joanni Mariæ de Monte Cardinali, qui summus Pontifex fuit. Tantum privati obsequii fructum tulit!

PETRUS PAULUS GUALTERIUS.

HUnc Marcello II. ab Epistolis latinis fuisse liquido apparet ex inscriptione, quæ in Templo S. Mariæ ad Viam, quæ lata dicitur, sepulchro ejus incisa est, quæque affertur a Martinellio eo libro, qui *primo trionfo della Santa Croce* inscribitur:

D. O. M.

Petro Paulo Gualterio Presbytero Civi & Archidiacono Aretino hujusce

Ecclesiæ Canonico, & S. Card. Ordinis a secretis, qui cum Marcello II. P. M. IN LATINIS EPISTOLIS SCRIBENDIS *egregiam operam navasset, ac aliis Pontificibus ob vitæ probitatem, disciplinarum peritiam, & linguarum varietatem gratus fuisset vel degens Romæ annos LV. ibidem in omnibus fortunæ eventibus, totus ex se pendens, aureaque mediocritate contentus suos non minus virtutum suarum exemplo, quam beneficiis honestavit, Stephanus & Raphael fratres mœst. poss. vixit an. LXXI. mens. V. dies VII. obiit an. MDLXXII.*

CÆSAR GLORIERIUS GALLUS.

H*Unc fuisse multis summis Pontificibus earum Epistolarum a secretis, quæ Brevia vocant,* affirmat Erythræus, qui addit etiam, *quod Gregorius XIII. Pontifex Cæsarem Brevium conficiendorum munere ac loco defecerit, caussatus, nescio quid de re admodum gravi ab eo esse conscriptum, quod non ipse jussisset.* Sed hujus calamitatis Cæsari caussa fuit Alexander filius, qui, Clericus Cameræ cum esset, pro jure sui Collegii libere nimis, adeoque contendit adversus Philippum Guastavillanum Cardinalem, & S. R. E. Camerarium, ut graviter offenderit apud Pontificem, cujus Cardinalis erat Soro-

roris filius. Scripſit hiſtoriam direptionis Borboniæ, cujus in Dialogo mentionem fecimus.

ANTONIUS FLOREBELLUS MUTINENSIS.

POſteaquàm Florebellus Pii IV.P.M. conſcripſiſſet Epiſtolas, etiam S. Pii V. *Secretarium* fuiſſe conſtat ex libris quinque Epiſtolarum ejuſdem Pontificis, quos Franciſcus Goubau Antuerpiæ emiſit in manus hominum ann. MDCXL. Quarum Epiſtolarum nonnullæ a Florebello conſcriptæ deprehenduntur. Lavellinum Epiſcopum factum eſſe die XXVIII. Auguſti ann. MDLVIII. narrat Ughellius, qui eum *eruditione ſingulari virum, omniumque ſcientiarum genere illuſtrem appellat.* Neque immerito: Scripſit enim vitam Cardinalis Sadoleti, cujus fuit familiaris: Orationes item tres: *ac de auctoritate Summi Pontificis Eccleſiæ capitis librum.* Obiit Mutinæ, quæ ipſius Patria fuit, anno MDLXXIV. In Bibliotheca Ambroſiana adſervari MSS. dicuntur *Antonii Florebelli Adverſaria, ſeu Formulæ pro Epiſtolis Pontificiis conſcribendis*, in quibus ipſius Florebelli manus conſpecta eſſe dicitur.

JULIUS RUGERIUS.

CLarum alterum S. Pii Quinti *Secretarium* nominat Poſſevinus l. 1. *ſuæ Bibliothecæ*, ubi ait: *Julius Rogerius Protonotarius, & Secretarius Apoſtolicus, Abbas Lamularum & Theologus, qui noſtra vixit ætate, quique in Polonia Legatione apud eum Regem eſt functus pro*

S. A.

S. A. Sede. Hujus Polonicæ Legationis Acta mss. habet sua in exquisitissima Bibliotheca Marefuschius Præsul amplissimus, ac eruditissimus, quem honoris caussa nomino. At Rugerium Theologum fuisse non ignobilem, & vero etiam elegantem, scripta ejus ostendunt Venetiis divulgata anno MDLXXXI. Illum certe Dupinius inter Scriptores Ecclesiasticos sæculi XVI. connumerat.

JULIUS POGIANUS.

AB eodem Possevino hic in Novariensi natus agro collaudatus est; ait enim in sua Bibliotheca: *Julius Pogianus S. Joannis Chrysostomi librum de Virginitate e græco bene latinum reddidit, quam versionem Plantinus Antuerpiæ protulit in lucem. Feruntur ejus Lectiones Historicæ Breviarii Romani sub Pio Quinto Pontifice Maximo. Ejus etiam opus est ultimum caput Romani Catechismi.*

Hæc autem omnia scripta optime sunt. Quamquam de sua scribendi ratione, Romæ quum esset, in sua quadam Epistola ita Paulum Manutium alloquitur:

Nec vero sentio, quid me non omnino languentem ocio, aut, quando etiam ita vis, non tardum ingenio magnopere in studio unquam adjuvet cœli, aut loci hujus opportunitas, contra potius, quantum mihi Roma obfuerit, intelligo: nam cuicunque hic operam dederim, ea adhuc officii conditione dedi, ut ejus, apud quem essem, non meo arbitrio, & studere, & scribere cogerer. Quæris quæ sit hac in Urbe ratio scriptio-

ptionis, & lectionis meæ? horrida, inculta, & plane dissimilis ejus artis, in qua ipse singulari honore versaris; quin etiam cælum hoc, cujus affectio, te olim incola hujus Urbis, eloquentiam vobis ingenerabat, nescio quo modo est immutatum, & vim illam suam dimisit; ne summorum quidem virorum imagines consuetudinem servant in admonendo suam: prorsus mutæ sunt, ut aliis quibusdam loquentibus modo imaginibus silentio gratificari videantur. Reliqui sunt Gulielmus Sirletus, & Octavius Pantagathus, duo eruditissimi, ac sanctissimi viri, quos si, quod mihi esset optatissimum, quamquam mihi facultatem eorum concedit humanitas, frequens possem convenire, non me meæ fortunæ pœniteret. Sed tanti, tamque propinqui boni fructum necessaria assiduitas operæ meæ capere non sinit. Ita mecum actum est, & agitur incommodius, qui quum præclara alia multa Romæ cum multis desidero, tum istam ornate dicentem, non solum pure loquentem prudentiam, cujus cupiditate sum incensus a puero, in his ejus sedibus dolenter interdum requiro cum paucis, ac lustratis animo terris omnibus, in unis fere tuis ædibus; id est in scriptis conclusam Romanæ orationis dignitatem & amo, & admiror.

Omnium sui temporis doctorum virorum amicitia floruit, Sirletoque imprimis, Seripando, Commendono, Osio Cardinalibus sapientissimis, usus est familiariter. Multas, easque elegantes ad eos epistolas dedit, quæ manu scriptæ in Bibliotheca Barberinia adservantur, dignissimæ quidem, quæ aliquando in lucem pro-

proferantur. Verum audio Epistolas ejus, & eas præsertim, quas Congregationis Concilii Tridentini nomine Pogianus ipse conscripsit, a Hieronymo Lagomarsinio S. J. omnium viro elegantiarum studiosissimo, propediem evulgatum iri, & quidem eruditissimis collustratas animadversionibus *. Quum igitur Pogianus & ingenio bono, & studio singulari, moribus etiam esset suavissimis, multorum primum Cardinalium, & (quod in ipsius maxima laude ponendum est) S. Caroli Borromæi: deinde Congregationis Concilii Tridentini; postremo vero S. Pii V. Pont. Max. *Secretarius* fuit. Quo in munere Romæ obiit, sepultusque est in Templo S. Petri in Janiculo, ubi hoc ejus legitur elogium:

Julio Pogiano Novarien. honestis moribus
Ingenio & eloquentia præstanti
Pontificum Max. Piorum IIII. & V.
Ab epistolis latinis
Jo. Antonius & Bartholomæus Fratri
Charissimo fecerunt. Vixit Ann. XLVI.
M. I. D. XXIII. Decessit non. Nov. MDLXVIII.

ANTONIUS GRATIANUS.

SI præclarum est laudatissimis viris placere, magna est certe Antonio Gratiano laus tribuenda, quod ita celebratissimo Cardinali Commendono placuerit, ut hoc eodem & magi-

* Quod receperat præstitit, & cumulate præstitit, optimus senex de optimo latine scribendi genere optime meritus.

giſtro, & Patrono, & amico, & demum quaſi parente Gratianus uteretur. Qui ejus *ſcripta* legerit *invita minerva*, quæ non ita pridem edenda curavit Lagomarſinius, quem ſupra laudavimus, nihil ille quidem deſiderabit eorum, quæ ad Gratiani vitam pertinent, & multa etiam intelliget, quæ ad Reipublicæ, illorumque temporum cognitionem pertinent. Libri ſunt ſane utiles, quos tamen nemo fere legit: at Pſeudopoliticorum ineptias quacunque conquirunt, & legunt plerique avidiſſime. Ex iiſdem ſcriptis *Secretarium* illum fuiſſe Sixti V. deprehendimus. Perhonorificam ejus mentionem Janus Nycius Erythræus facit in Pinacotheca pag. 484. Plura ſcripſit, velut *de caſibus virorum illuſtrium: vitam Commendoni: de Bello Cyprio.* Sed nihil tam ejus prudentiam, atque eloquentiam civilem declarat, quam epiſtolæ illæ, quas, quum Legatus eſſet Pontificis apud Venetos, italice ſcripſit, quaſque legi in Bibliotheca Cardinalis Portocarreri, qui nunc Regis Hiſpani ad Pontificem Legatus, & Principis viri, & Eccleſiaſtici hominis virtutes, non ita ſæpe inter ſe congruentes, mirifice conjungit. Epiſcopus Gratianus factus Amerinus, & tam tenui ſuorum laborum, ſtudiorumque præmio remuneratus, eam in Urbem poſt Venetam Legationem libenter conceſſit, aulam pertæſus, quæ magnos, & doctos viros admirari magis, quam ornare ſolet. Obiit Ameriæ XVII. Kal. Aprilis MDCXI. ann. agens LXXV.

THO-

THOMAS ALDOBRANDINUS.

THomas Aldobrandinus Silvestri F. Clementis VIII. Pontificis Fr. S. Pii V. *Secretarius* admodum juvenis factus est, in eoque munere ejus opera pluris etiam fuisset, si diutius vixisset. Fuit enim græce, latineque scientissimus. Laertium vertit e græco, eamque versionem Henricus Stephanus, & Isacius Casaubonus viri doctissimi suis animadversionibus non dubitarunt illustrare. Joannes Stringa in *Præfat. ad vitam Clem. VIII.* eum mirifice laudat, & quum *Secretarius* S. Pii V. esset, nimis cito obiisse dolenter commemorat. Nos Epistolam existimavimus afferendam, quæ Commendoni nomine a Gratiano ad eum scripta est:

All' Aldobrandino.

MOlto Magnifico, e Reverendo Signor come Fratello. Veramente che il dolore, che ho sentito de la perdita di Messer Giulio Poggiano, si è molto ben consolato dalla nuova, che hebbi dipoi dell' elezione, che haveva fatto N. Signore della persona di V. S. per suo SECRETARIO de' Brevi. Di che io ho sentito singular contento, così per l' onore, che ne viene a V. S. & per il testimonio, che ha dato Sua Santità de l'opinione, che tiene de la molta virtù sua, come per servizio DI QUEL LOCO IMPORTANTISSIMO A LA DIGNITA' DI COTESTA SANTA SEDE. Me ne rallegro con V. S. & con i fra-

fratelli suoi: a i quali ho sempre & desiderato & sperato ogni grandezza per il valore & meriti loro; & lei ringrazio de l' amorevole lettera sua, & de l' avviso, che ha voluto essa stessa darmi di ciò, & me le offero & raccomando. Di Vienna alli 23. di Decembre 1508.

ANTONIUS BUCCAPADULIUS ROMANUS, ET THOMAS GUALTERUTIUS FANENSIS.

MAgna in his duobus *Secretariis* Pontificiis morum, atque ingenii dissimilitudo fuit, quorum quum accurate historiam expresserit Janus Nicius Erythræus, satis nobis visum est eam afferre, neque præterea quicquam; nisi illud de Antonio Buccapadulio velimus animadvertere, quod nonnulla ejus ingenii monumenta divulgata sunt, imprimisque Oratio ab eo habita in funere S. Pii V. in qua apparet, quam egregius fuerit veterum imitator; sic tamen, ut a sacrarum literarum usu nunquam discederet.

Si Romanis hominibus in sua civitate, ubi sita est arx veræ germanæque Religionis, ubi latini ritus majestas, tanquam in suo regno, sedem ac domicilium habet, laudi daretur, quod Latine, pure, dilucide, eleganterque loquerentur ac scriberent, SI MUNERA ILLA, QUÆ ELOQUENTIS CUJUSPIAM HOMINIS REQUIRUNT INDUSTRIAM, IIS DEFERRENTUR, QUI ELOQUENTIA CÆTERIS ANTESTARENT,

RENT, quis dubitat, quin multi semper existerent, qui cum veteribus Scriptoribus conferri dicendi gloria possent? Verum, quum videamus, nihil fere iis esse contemtius, qui totos se in hoc studiorum genere collocarunt, ut etiam, contumeliæ causa, pædagogi nomine afficiantur; quum in eorum honores, ac præmia ii cernantur invadere, qui nondum, ne suspicione quidem, assequi potuerunt, quænam sit ratio puri, dilucidi, latinique sermonis, immo qui vix primoribus labris gustarunt Latinæ Grammatices studia, & extremis, ut dicitur, digitis attigerunt, quumque, ut ea, quæ scriberent, & casibus, & temporibus, & genere, & numero conservent, multis egeant pædagogis: quid mirum, si Romanorum hominum, quod ad eloquentiæ laudem attinet, spes infringatur, & languescat industria? Honos, *inquit ille*, alit artes, omnesque incendimur ad studia gloria; jacentque ea semper, quæ apud quosque improbantur. *Quod si nostra ætate unus, aut alter homo Romanus, Latine scribendi laude perspicuus, eo est in loco conspectus, qui huic præsertim arti studioque debetur, hic non tam sui artificii meritis, quasi viribus, ad eum pervenit, quam potentioris cujuspiam auctoritate & gratia, quæ ad honores etiam eos, qui industriæ debentur, consequendos plurimum valet, tamquam machinatione aliqua, est ad eundem attractus. Sylvium Antonianum in Urbe natum Clemens VIII. magis recte scribendi laude & celeritate, qua superior erat cæteris, quam longo cum ipso amicitiæ & consuetudinis usu, ad Latinas literas scribendas adhibuit:*

buit: similiter Gregorius XIII. hanc eandem provinciam Antonio Buccapadulio demandavit, amicitia, quæ cum ipso intercedebat, impulsus. Atque hic Antonius, ab origine ultima stirpis Romanæ, nobili inter suos ortus est loco (etenim Buccapaduliorum familia non in postremis Urbis Romæ numeratur) patre usus est diligente in ipso erudiendo, eoque magis, quod ille summam in puero ingenii docilitatem, & in percipiendis iis, quæ tradebantur, celeritatem agnoscebat, cujus ingenii magnitudinis erant indicio quidam eloquentiæ quasi igniculi, qui in eo, etiam tum puero, elucebant: ut enim, quemadmodum probe inquit Cicero, hominis decus, ingenium, sic ingenii ipsius lumen est eloquentia: ad quam cum se a natura ferri sentiret, simul ac doctrinis illis, quibus puerilis ætas imperitiri solet, eruditus, excessit ex ephebis, quum sibi eloquentiam, quasi sponsam, despondisset, noluit eam indotatam habere, sed ad magistros Philosophiæ, ac Theologiæ se contulit, ut eam ab iis sponsæ, quam sibi delegerat, dotem arcesseret: a quibus satis habuit, earum scientiarum fontes & capita noscere; ut inde postea hauriret tantum, quantum esset necesse ad suam eloquentiam ornandam, instruendamque: qua eloquentia, cum a parvis initiis orta, maturitatem suam adepta esset, non eam ille domesticis parietibus inclusam aluit, sed foras eduxit, ac sæpe multis audientibus, quanta ea esset, aperuit. Sed cito intervenit Gregorius XIII., qui illum, ab omnibus aliis exercitationibus abductum, ad conficiendas Pontificias epistolas, quibus Brevium est nomen,

adduxit, quarum concinnator Secretarii domestici nomine insignitur. Ad quas scribendas tantam primum eloquentiam attulit, quantam nemo alius ante ipsum, qui in eodem munere versatus sit; tum magnum sacrarum literarum usum, quarum verba, atque sententias ita scite in suis epistolis illigabat, ita apte iis locis, quibus opus erat, includebat, ut eæ ad illam rem natæ viderentur; tum singularem prudentiam, qua nullum in illis verbum collocabat, nullum dictum ex ipsius dictantis ore exibat, quod jure reprehendi posset; postremo illud orationis genus adhibebat, quod Pontificiam majestatem, eorumque, ad quos literæ dabantur, conditionem, ac dignitatem deceret. Nec fuit illi magnopere desiderandum in eo munere, ut insignis aliqua ingenii, prudentiæque sibi suæ declarandæ occasio, atque materia obiiceretur. Nam Gregorio Pontifice, qui tredecim annis Ecclesiæ navis in puppi sedens, ejusque gubernacula retinens, e multis eam scopulis auctoritate, sapientiaque eripuit, multæ ac graves sese dederunt: ut, quum magnus militiæ Hierosolymitanæ Magister, pluribus maximis criminibus accusatus, Romam fuit evocandus, ut causam diceret: qua de re multa ad Reges, ad Respub., ad Dynastas brevia scribenda ac mittenda fuerunt: quæ ego, Marcelli Vestrii opera, ex Sedis Apostolicæ tabulariis accepta, ita legi, ut neminem unquam de rebus, ad summam Reipub. spectantibus, scribentem, magis sim admiratus. Qui magnus Magister, me puerulo, utpote non amplius quinque annos nato, Romam venit, regali prorsus apparatu-

ra-

tatu, ab Hippolyto Card. Estensi hospitio exceptus; apud quem etiam, sive ægritudine, sive alia vi morbi oppressus, vivendi finem fecit, atque delatus est in ædem D. Ludovici, nationis Gallicanæ, ea funeris pompa magnificentiaque, qua nulla postea Romæ major, neque amplior est visa: nam, quantum ineuntis illius ætatis retinere memoria valuit, quantumque meminisse possum, præter omnes Laicorum Sodalitates, præter omnes religiosorum Ordinum e mendicato victitantium familias, præter Sacerdotes, superpelliciis indutos, quorum incredibilis erat numerus, longus atratis in equis sedentium ordo conspiciebatur, quorum partim tubis dissonis atque discordibus, ac luctum maxime præferentibus, canebant, alii longissima ex serico vexilla trahebant; hos subsequebantur non minus multi pedites atrati, qui tympana fractum ac discordem sonum edentia pulsabant; plerique vexilla item alia ex serico post se trahentes, lugubrem oculis afferebant aspectum: & quoniam eo die lutulentæ erant, ac corruptæ imbribus viæ, erat mihi ægre, ut puero, tantam vim sericæ vestis infici, lutoque corrumpi: accedebant deinde, si recte memini, omnes illi Hierosolymitani equites, qui Magistrum suum ac ducem, honoris officiique gratia, Romam comitati fuerant, quorum non parvus erat numerus, longis syrmatibus, quacunque incedebant, humum infectam cœno verrebant: funalium vero, quæ defuncti lectum, auro tectum, hac illac complectebantur, ea vis erat, ut viæ, quibus funeris pompæ iter erat, non collucere, sed ardere viderentur.

tur. Sed quid frustra tempus in his rebus referendis conterimus, quæ nihil ad rem, de qua agimus, pertinent? Redeo ad Antonium, cui, Gregorio extincto, Sixtus V. qui illi in Pontificatu successerat, scribendarum epistolarum munus, quod tanta eloquentiæ fidelitatisque cum laude obeundo administraverat, abrogavit, ac Thomæ Gualterutio, qui omnium Brevium conscribendorum provinciam acquisierat, mandavit; homini eluto, ac pertinaciter suo juri sententiæque addicto, cujus eorum, quæ diceret (nam sæpius eum in Sodalitiis verba facientem audivi) quamvis admodum attenderem, quæque scriberet, nunquam potui quidquam intelligere; ita confusa erat oratio, ita perturbata, nihil ut esset primum, nihil secundum. Sed hic non diu jactare se potuit; etenim non ita multo post gravi in crimine, quo Pontificis summi majestas lædebatur, deprehensus, pœnas legibus dedit, ac tum munere, tum pecuniis, quibus illud comparaverat, quæ erant magnæ, eversus perivit, & in ejus locum subrogatus est Joannes Baptista Canobius. Sed Sixto morte sublato, rursus Antonius a Gregorio XIV. est revocatus in cursum, ac tenuit locum, unde fuerat depulsus, fere tamdiu, quam vixit. Fuit etiam Basilicæ Apostolorum Principis Canonicus; eique muneri assiduitate ac diligentia, quoties per occupationes publicas licebat, non defuit: præterea moribus integerrimis, atque mitissimis.

Idem Erythræus in quadam epistola ita de Gualterutii infortunio scripsit: „ Bellochius „ Sixti V. Pincerna cum vellet in patria sua „ quam-

„ quamdam domum emere negatam a Domi-
„ nis, per confictum Breve Apostolicum ven-
„ ditionem præcipiens, obtinuit. Gualterutius
„ illud Breve conscripserat arbitratus Bello-
„ chium bona fide secum agere, & conscium
„ esse rei illius Pontificem. Bellochius falso si-
„ gno Anuli Pontificii rem suam egerat. Fal-
„ sitate comperta, quod Gualterutius sceleris
„ particeps a rigido Pontifice suspicaretur, fru-
„ stra pro eo Hispano ac Veneto Oratoribus
„ pluribusque Cardinalibus adnitentibus, ad
„ triremes damnatus est, post mortem vero
„ Sixti statim restitutus ".

JOANNES BAPTISTA CANOBIUS BONONIENSIS.

HIC Bononiæ nobili genere natus, fratris filius fuit Francisci illius, qui erat Julii Pogiani amicissimus, & quem comperimus missum ad Poloniæ Reginam fuisse a Pio V. Rosæ aureæ deferendæ caussa. *Secretarium* fuisse Pontificium constat ex Bulla Sixti V., qua *Secretariorum* Apostolicorum jura amplificantur.

MARCELLUS VESTRIUS BARBIANUS.

MArcellus Vestrius Barbianus Patria Imolensis, Octaviani Vestri Jurisconsulti, cujus liber extat de omnibus Urbis Magistratibus, ac de omnium judiciorum ratione, filius. Mortua conjuge, ex qua filium susceperat, a Gregorio XIV. earum Epistolarum, quæ Brevia ap-

pellantur, ſcribendarum muneri præfectus eſt, utpote qui a Marco Antonio Mureto nitidam, elegantemque latine ſcribendi rationem edidiciſſet. Eamdem deinde operam præſtitit tum Clementi VIII. tum Paulo V. in cujus Pontificatus initiis diem extremum obiit. Habuit ſemel orationem ad S. R. E. Cardinales, cum ſubrogandi Pontificis cauſſa Conclave ingreſſuri eſſent, eaque, teſte Erythræo, non tam verborum ſententiarumque luminibus, quibus enitebat, placuit, quam actione, quæ fuit in eo ſingularis.

SYLVIUS ANTONIANUS CARD.

SIquis vel principem locum inter Claros Pontificiarum Epiſtolarum Scriptores Sylvio Antoniano tribuendum putet, non repugno. Is enim mihi eam propius ſcribendi rationem ſecutus videtur, quæ hujuſmodi ſcriptores maxime decet. Nulla vero majorum commendatione ſubnixus, nullo fretus aulico artificio, ſed ingenii doctrinæque præſtantia, vitæ integritate, pietate, ſide, ad honores ampliſſimos ſibi viam munivit. Natus Romæ eſt obſcuris parentibus anno MDXL. die 31. Decembris, matremque ſomniaſſe ferunt, ſe puerum edituram, qui maximo Romanæ Eccleſiæ ornamento futurus eſſet. Cum Cardinalis Alexander Farneſius ſplendidiſſimum non paucis Cardinalibus convivium inſtruxiſſet, in eo convivio Sylvius adhuc adoleſcens ac pene puer quædam latina carmina ex tempore effudit,

qui-

quibus Jo. Angelo Cardinali Mediceo Pontificatum augurabatur: Qui primus illi fuit ad hominum exiſtimationem atque ad ampliorem fortunam gradus. Cum enim revera Cardinalis Mediceus Pontificatum adeptus eſſet, cui Pio IV. nomen inditum eſt, Sylviani Vaticinii non immemor fuit. Pontificia enim commendatione factus eſt Cardinali Carolo Borrhomæo ab *Epiſtolis*, cum quo Mediolanum profectus *Acta Eccleſiæ Mediolanenſis* perſcripſit. Fuit deinde in Germaniam miſſus ad Cardinalem Moronum Legatum, ut ejus opera in conſcribendis Epiſtolis latinis uteretur. Gregorius XIV. Epiſcopatus Papienſem, & Capuanum illi ultro detulit; quos tamen, cum ſibi tanto oneri ferendo impar videretur, ſingulari animi moderatione recuſavit. Denique Clemens VIII. egregius hominum virtute ac doctrina præſtantium Patronus, cum ſibi ab *Epiſtolis*, quæ *Brevia ad Principes* vocant, aſcivit, nec non Magiſtrum admiſſionum, qui Pontificii cubiculi Præfectus dicitur, fecit.

Jam allatum a nobis eſt minus æquum de Antoniano Cardinalis Bentivoli in Commentariis ſuis de ejus Epiſtolis Pontificiis judicium, quod in Dialogo animadverſum eſt. Sed non erit opinor abs re hic epiſtolam deſcribere, quam de optima Brevium ſcribendorum ratione ad Joannem Badeſium dedit: *Non ſatis eſt latine ſcribere, niſi ornate, & eleganter ſcribas. Hoc meum ſcribendi genus Eccleſiaſticum eſt, quod tamen non omnes aſſequuntur, neque me aſſequutum puto. Multi ſunt, qui Ciceronem*

imitantur, eloquentiæ plane parentem, & optimum latinitatis auctorem; sed, dum Ciceroniani esse volunt, se christianos, aut Sacerdotes esse obliviscuntur. Itaque ita loquuntur, & scribunt, ac si in Capitolio versarentur, non in Ecclesia. Multa præter decorem, quædam interdum parum pie effutiunt. Alii contra pietati, & religioni valde addicti, ex fæce hauriunt, & inquinatissime scribunt; quamquam ego hoc sum ingenio, ut potius res bonas, quam bona verba requiram. Sed tamen non est facile, ut dixi, stylum ita temperare, ut elegantiam simul, & quamdam Ecclesiasticam gravitatem, & pietatem referat. Id fit SS. Patrum, & sacræ Scripturæ lectione cum Cicerone conjungenda. Id suo tempore tu quoque, ut spero, efficies &c.

Hæc Epistola affertur a Francisco Maria Turrigio in Lib. de Eminentissimis S. R. E. Scriptoribus Cardinalibus.

Quòd de Imperatore optimo dici solet stantem mori oportere, hoc de Sylvio Antoniano dici etiam potest; nam dum æstivo tempore dies noctesque impensius gravissimis Brevibus conscribendis dedisset operam, lethali morbo correptus est, quo brevi vita excessit. Eum tamen morti proximum Clemens VIII. benignissime invisit, ac repetitis amplexibus præsentis amoris vim ac futuri desiderii dolorem indicavit. Obiit anno Dom. MDCIII. ætatis vero suæ LXIII. cum jam quinque abhinc annis inter Cardinales cooptatus fuisset. Magna funeris pompa elatus est, supremisque honoribus illi rite persolutis, sepultus deinde est in æde

S.

S. Mariæ in Vallicella. Sepulchralis Inscriptio, cujus ipsum Sylvium auctorem ferunt, sic habet:

Sylvius Antonianus Presbyter Romanus
Sacellum ornavit
Locum Sepulturæ delegit
Anno Dom. MDLXXX.

Scripsit: *De obscuritate Solis in Morte Christi: de Primatu S. Petri: de successione Apostolica: de stylo Ecclesiastico, seu de conscribenda Ecclesiastica Historia: Lucubrationes in Rhetoricam Aristotelis, & in Orationes Ciceronis.* Ejus meminerunt *Ludovicus Donius, Paulus Manutius, Gavantus, Famianus Strada, Morerius, Auctor Dictionarii Critici, Erythræus, Castelvetrius, Augustinus Valerius*: ejusque vitam accurate scripsit *Joseph Castaleo.*

PETRUS STROZZIUS.

HIC Florentiæ nobili genere natus Lazarum Bonamicum audivit. Aristotelicæ Philosophiæ, & linguarum cognitione clarissimus fuit. Nam librum edidit de dogmatibus Chaldæorum. In architectura etiam excelluit. Romam venit, Leone XI. Pontifice creato, cujus *Secretarius* fuit; ejusque se muneris summe se cupidum fuisse narrabat, quod præter existimationem, & decus, quod habebat adjunctum, magnam prudentiæ ostendendæ, ingeniique declarandi facultatem afferret. Quum Pauli V. Pont. cujus etiam *Secretarius* fuit, gra-

gratia excidisset, communes aulæ pestes invidiam, atque inscitiam pertæsus, in Etruriam se contulit, uxore ducta puella elegantissima.

LANFRANCUS MARGOTIUS CARDINALIS.

MAgna nobis habenda gratia est J. Nicio Erythræo, quod multorum clarorum virorum, qui sæculo superiore floruerunt, imaginem vitæ, atque ingenii in Pinacotheca sua nobis repræsentaverit. Ecce Margotius, de quo ita ait:

Lanfrancus Margotius, magis ex sese, quam ex majoribus suis cognitus, sine multis literis, in scribendis epistolis longe doctissimorum hominum industriæ anteivit. Etenim rem, de qua scribendum esset, videbat acute, explicabat dilucide, sententias adhibebat illustres, quæque non tam haberent venustatem, quam dignitatem ac pondus: verba erant, non illa quidem elegantissimo sermone, sed quæ rem maxime explicarent. Omnia scribendi genera noverat; eoque utebatur, quod cum ejus, qui scriberet, eorumque, ad quos scribebatur, personis congrueret. Ne multa; nulla in eo virtus desiderabatur, illi necessaria, cui arcana summorum Principum negocia, per literas tractanda mandantur; ut verum in eo apparuerit, quod dicitur, sæpius ad laudem atque virtutem, naturam sine doctrina, quam sine natura valuisse doctrinam. Magno fuit animo, ac pecuniæ superiori; tum etiam, quum una cum summis viris, genere, di-

vi-

vitiis, ac dignitate præstantibus, ad aliquam animi remissionem ludumque descenderet: adeo ut ceteris largius sumtus faceret, eosdemque liberalius, atque animosius provocaret in aleam. Quod quamquam non sit magnopere per se laudandum, ejus tamen magnitudinem animi indicabat, perficiebatque, ut illi, quibus cum una erat, quamvis nobilissimi, præ eo, humili, abjecto, contemtoque orti loco, ipse longa cognatione stirpi cuipiam regiæ annexus videretur. Duobus Summ. Pont. Clementi VIII. & Paulo V. in scribendis epistolis egregiam navavit operam, atque fidelem; ob quam, præsertim a Paulo V. in amplissimum Cardinalium ordinem est cooptatus, summumque in ejus gratia tenuit locum; ac tum multo magis, quum ejus, qui illi obtrectabat, invidia atque malignitas facta est palam. Sed mortis celeritas, ne tanto Pontificis beneficio, ejusdemque egregia in se voluntate, diutius frueretur, obstitit. Nam paucis post annis, an mensibus? a lethali pustula, in dextero, ut ajunt, brachio oborta, pene subitum est ad interitum datus: neque quidquam moriens de solita magnitudine animi amisit. Nam rogatus a Pont. qui, ut eum in tam gravi casu consolaretur, adierat, numquidnam vellet? Nihil, inquit ille, nisi præteritæ mihi vitæ noxas, auctoritate tibi divinitus concessa, dimitti. Obiit insigni epistolarum volumine edito.

Sepultus est in Templo S. Petri ad Vincula cum hoc Elogio, quod in sepulchrò magnifice extructo insculptum est:

D.

D. O. M.
Lanfranco Margotio Parmensi
S. R. E. Presb. Card. Tit. S. Petri
Ad Vinc. qui duor. Pontiff. Maxx.
Clem. VIII. & Pauli V. negociis
Cum Orbis Principibus summa Prudentia stiloq. aptissimo candidissimoq.
Pertractatis in eoq. unus omnem ætate
Sua laudem promeritus a Paulo V.
In sacr. Cardd. CM. cooptatus prius
Vitæ, quam gloriæ cursum visus est
Obiisse Octavius Margotius Fr.
M. P. vixit annos LII. mens. II.
Obiit ann. MDCXI. Prid. Kal. Decemb.

SCIPIO COBELLUTIUS CARD.

HIC Viterbii natus, & mortuo Marcello Vestrio *Secretarius* factus Pontificius a Paulo V., propter doctrinæ, atque integritatis opinionem in Cardinalium Collegium cooptatus est. Ejus sunt Epistolæ aliquot latinæ, neque inelegantes, ad Sirmondum datæ Jesuitam eruditissimum, cujus is fuerat amicissimus. Diligebat ipse doctos quosque viros, & ab iis colebatur. Huic Pignorius libros suos *de Servis, & Patavinis originibus*: librum item suum *de Capitolio* Ricquius inscripsit. Obiit Romæ MDCXXVII. sexagesimo secundo ætatis suæ. Moriëntem hæc illum multis audientibus dixisse ait Erythræus: *Duobus se plurimum debere; Paulo V. qui quum Purpuræ honore ipsum cobo-*

cohonestaret, ex reliquorum hominum numero exemerat; & cuidam alteri, cujus artibus de summi Pontificatus spe fuerat dejectus.

DECIUS MEMMOLUS.

DEcii Memmoli Arianensis vitam complectitur sepulchralis Inscriptio, quæ in Basilica Liberiana adhuc legitur:

D. O. M.
Decio Memmolo
Hujus Basilicæ Canonico
Paulo V. Pont. Max.
A Secretis ad Principes
Solertia, fide, opera summe caro
Eximia in Deum, & homines Pietate
Vitæ integritate, morum candore
Ac Eruditione præstanti
Omnibus Aulæ Ordinib. amabili
Christophorus Memmolus
Ruborum Episcopus
Fratri dulcijs. lacrimans P.
Dormiens obiit, qui dicere poterat
Ego dormio, & cor meum vigilat
XII. Kal. Julii
Anno Domini MDCXXXI.
Ætatis LI.

Hujus mentionem faciunt Leo Allatius, Nicolaus Alemannus, Cardinalis Bentivolus, Andreas Victorellus, Franciscus Xaverius Quadrius, qui Poeticam omnem facultatem libris eru-

eruditissimis amplexus est. Non pauca Italice edidit Memmolus, videlicet:

1. *De Vita, Ecclesia, & Reliquiis SS. Quatuor Coronatorum ad Garziam Millinum Cardinalem. Romæ apud Grignanum* 1628. *in* 8.

2. *Monita pro Concionatoribus, apud eumdem* 1630.

3. *Monita ad consequendam in præsenti vita animi quietem, atque in futura æternam felicitatem ad Moniales S. Susannæ.*

4. *Dialogos duos musice recitandos Romæ apud eumdem* 1630. *in* 24.

5. *Susanna Tragœdiam. Romæ apud eumdem* 1632 *in* 8.

6. *Vitam Cardinalis Garziæ Millini Romani. Romæ apud Jo. Paulum Rocchetti* 1644.

Reliquit præterea Tragœdiam aliam, quæ *Alfonsus Rex Congi* inscribitur:

In laudem serviendi (del servire) *Tractatum.*

In laudem honoris Tractatum.

De rebus Basilicæ S. Mariæ Majoris Dialogum.

Contra Macchiavelli fautores Discursum.

De bellica Hispanorum irruptione in Montem Ferratum Discursum.

PORPHYRIUS FELICIANUS.

HUnc elegantissimum & Poetam, & Scriptorem Epistolarum omnes fere ejus temporis auctores laudant. Pauli V. primum *Secretarius*, deinde Episcopus fuit Fulginas, qua

in

in Urbe natus est. In Passionea Bibliotheca luculentissima MSS. est copia ingens epistolarum ejus. Joannes Baptista Laurus Perusinus in Dialogo, qui dicitur *Theatri Romani Orchestra*, hæc de eo scribit: *Porphyrius Felicianus Episcopus Fulginas diu est, quum in ea excubat senex jucundissimus, & disertissimus, dignus utique, qui una cum Lanfranco Margotio æquali olim Pugile pallam purpuream induerct.* Obiit Fulginii postridie Kal. Octobr. MDCXXXII. ætatis suæ septuagesimo.

GASPAR PALLONIUS.

HUjus ingenii experimentum habemus in Oratione, quam habuit in funere Pauli V. *Secretarium* vero fuisse Pontificis Laurus Perusinus, quem supra commemoravimus, affirmat.

ROBERTUS UBALDINUS CARD.

FLorentiæ is Leonis XI. Sororis Filia natus, Pontificis affinitate fretus certam in spem honorum, atque opum venit. Qua, intra septem & viginti dies extincto Leone, quum subito excidisset, relevatus est a Paulo V., qui Leoni successit, eumque *Secretarium* suum fecit; neque alium se invenire dicebat, *qui majori sententiarum gravitate, ac verborum splendore animi sui sensa complecteretur.* Id scribit Erythræus sibi narrare solitum fuisse Marcellum Vestrium, *qui tectam ejus in scribendo prudentiam, & singularem latini sermonis elegantiam,*

tiam, miris in Cœlum laudibus efferebat; ac fidei faciendæ gratia ostendisse sibi aliquot ejus Brevia, quibus etiam, ejusdem Erythræi sententia, *nihil poterat esse præstantius*. Legatus in Galliam missus, prudentiæ præmium Cardinalatum accepit an. MDCXV. postrid. Cal. Decembris; quo in honore nihil habuit antiquius, quam pietatem in Deum, liberalitatem in literatos, etiam eos, qui non satis honorifice de se loquebantur. Augustinum enim Mascardum obtrectatorem suum, gravi affectum morbo non dubitavit invisere, neque consolari solum, sed etiam ingenti pecunia sublevare. Veterum Poetarum lectione mirificè delectabatur, quos nisi invitus, ac gravatè de manu nunquam dimittebat. Marino, Poetà eum primis nobili, familiaritèr utebatur, misitque ad eum lectissimos versus; Item Francisco Bracciolino, Francisco Balduccio, & Porphyrio Feliciano. Obiit die XXIII. Octobris an. MDCXXXV. non ann. MDCXXXII. in quo labitur Ughellius.

JOANNES BAPTISTA AGUCCHIA BONONIENSIS.

SIne dubio doctus hic vir extitit. Multa enim & varia scripsit, fuitque & Theologus, & Mathematicus, & Philosophus, & antiquitatis peritus. Neque minus est in Republica versatus; quum & Gregorii XV. *Secretarius* fuerit, ut ait Philippus Thomassinus *in Vitis illustrium Virorum*, & ab Urbano VIII.
le-

legatus ad Venetos sit; quo in munere quum Apostolicæ Sedis jura tueretur, magni atque invicti animi laudem tulit. Denique quum in Forum Julium, pestilentiæ vitandæ caussa, concessisset, ibi decessit ann. MDCXXXII. Eum Erythræus, ut ingenio ad literas bono, laudat, ut animo in amicos non satis bono, reprehendit. Scripsit *Vitas Philippi Segæ, & Hieronymi Fratris sui*, qui Cardinales ambo fuerunt: *De Cometis*: *De Antiquitatibus Bononiensibus*: *de Pictura*, cujus etiam artis intelligens fuit, quippe Annibalis Caraccii amicus, eique ad Historias, Fabulasque pingendas auctor, & dux. Multas præterea scripsit Epistolas, quas maxime commendat Erythræus. Item opuscula, quæ ad Philosophiam moralem pertinent: veluti *de ambitione*: *de Amore muliebri*: *de Vita privata*: *de ingrati animi vitio &c.*

JOANNES CIAMPOLUS FLORENT.

MAgno hic ingenio, sed non bene exculto fuit. Veterum enim Auctorum contemtor, dum his superiorem se facit, multo est etiam recentioribus inventus inferior. Poeticæ quum imprimis facultati operam daret, valebat ille quidem impetu, sed a ratione, & prudentia deserebatur. Virgilium, Horatium, Petrarcam insectatus est veluti imperitos, ineptos, & minime dignos, qui Poetæ appellarentur. Famam tamen comparavit novitate rei, adeo ut ad Epistolas conscribendas suas Gre-

gorius XV. illum evocaverit. Latinas nunquam literas attigerat, & quum muneris necessitate compelleretur ad latine scribendum, statim visus est aliquid posse. Neque tamen ab ingenio suo discessit, quum Epistolas ipsas impleverit luxurie quadam verborum & sententiarum, quæ erat barbarie ipsa deterior. Id quod ex ejus Epistolis constat, quæ MSS. extant in Tabulario Vaticano. Urbano etiam Octavo primum placuit, cujus etiam & *Secretarius* & *Cubicularius* fuit: deinde quum elatius se se gereret, ipsique non dubitaret detrahere Pontifici, qui erat Poeticæ gloriæ cupidissimus, Aula detrusus spes omnes suas corrupit, atque in Picenum, ut oppido cuidam præesset, ablegatus, mœrens, atque inglorius decessit. Multa de hoc Erythræus in Pinacotheca sua. Item Laurentius Crassus in Elogiis, Crescimbenius *Tomo* IV. *suorum Commentariorum pag.* 189. & Leo Allatius in *Apibus Urbanis.*

FRANCISCUS HERRERA.

ERuditionem hic, & pietatem ex disciplina Jesuitarum hausit, quorum primum alumnus, deinde socius aliquot annos fuit. Nam aqua intercute laborans Societatem invitus invitam reliquit. Id enim a Pontifice Fratres ejus impetraverant. Quum Savonæ, ubi ipse patre Hispano natus erat, propter Cœli salubritatem convaluisset, Romam rediit, & Tusculi plerumque vivebat in villa procul ab omni ambitione, & strepitu. Ibi tamen amicitiam na-

ctus

ctus est Cardinalis Maffæi Barberini, qui eo in loco rusticari consueverat, suavissimisque Herreræ moribus, & doctrina delectabatur. Pontifex factus Barberinus *Secretarium* eum suum, amoto Ciampolo, fecit. In ejus Epistolis Pontificiis gravitatem, prudentiam, atque orationis cultum, & nitorem elucere ait Erythræus, & revera ita est. Obiit anno MDCXXXVI. ætatis suæ LVI.

CLEMENS IX. PONT. PISTORIENSIS.

JUlio Rospiliosio Poesis, quod rarissimum est, caussa honorum, atque opum fuit. Nam quum a Famiano Strada Jesuita optime esset in literis latinis eruditus, & a Francisco Accarisio Pisis Jus Civile, & Pontificium didicisset, non tam his artibus claruit, quam Poetica facultate. Scribebat enim Italico sermone Dramata, quæ in Theatro Barberino agebantur. Hac de caussa & Antonio Barberino Cardinali, & Urbano VIII. Pontifici maxime acceptus fuit, qui Canonicum Basilicæ Liberianæ, & *Secretarium* eum suum fecit, Legatumque in Hispaniam misit. Demum Cardinalis, & Pontifex factus obiit ann. MDCLXIX. In eadem Basilica Liberiana magnificum ei Sepulchrum Clemens X. ponendum curavit cum ejusdem Clementis IX. statua, & hac Inscriptione:

Clementis IX. æternæ memoriæ Pontificis
Magni Cineres ne absque ullo Sepulchrali

honore ficut ipse jusserat humi laterent Clemens X. Pont. Max. Benefactori suo & ob spectatum Fidei zelum ob egregiam erga omnes beneficentiam & charitatem de re Christiana optime merito Grati animi monumentum posuit anno Domini MDCLXXI.

De hoc legendus Ciacconius Tom.IV. pag.718. & Quadrius in Historia sua Poetica.

LAURENTIUS AZOLINUS.

LAurentius Azolinus Firmi in Piceno nobili genere natus, Episcopus Narniensis cum esset, ac multiplici eruditione, poeticaque in primis facultate floreret, ab Urbano VIII. Pontifice Maximo, quem hujusmodi studia delectabant, accitus est, ut sibi esset ab *Epistolis.* Non pauca pereleganter scripsit, atque in primis ejus Satyræ Italico carmine concinnatæ commendantur. Satyram atque Odem Italicam ejusdem Auctoris perlegere est in delectu Italorum carminum, quæ primum Venetiis edidit Paulus Ballionius ann. MDCLXXXVI. in 8.

GASPAR SIMEONIUS AQUILANUS.

S*Ecretarius* hic fuit Innocentii X., uti constat ex Tabulario Vaticano, atque ex Marraccio in Bibliotheca Mariana *part.* 1. *pag.* 470. Augustinus Mascardus in Epistola, quam ad Thuanum dedit, eum *Philosophiæ, Theologiæ,* *Ma-*

Matheseos, aliarumque disciplinarum peritissimum appellat. *In amœnioribus tamen studiis ingenio tam subacto, ut Latine non minus, quam Etrusce, qua soluta, qua numeris adstricta oratione, fœlicitate non dispari scribat.* Scripsit *Apes Urbanas: Panegyricum ad Lemensium Comitem Neapolitani Regni Proregem: Gemmas Oceanitides: Epitomen Gestorum S. Pamphili Episcopi Sulmonensis: Orationes Academicas: Inscriptiones Sepulchrales: Dissertationem de Miraculis: Vitas Sanctorum, qui in Samnio habentur: Elogia Historica Principum, & Virorum illustrium.* Hæc tamen omnia fuisse illum declarant magis eruditum, quam elegantem.

FRANCISCUS NERLIUS CARD.

HUnc Florentiæ natum in Jure magis excellentem, quam latinæ elegantiæ peritum, quum antea Roberti Ubaldini Cardinalis, cujus supra mentionem fecimus, amicitia floruisset, *Secretarium* suum fecit Innocentius X. Duodeviginti annos eo in munere versatus est, quamquam Episcopus Pistoriensis factus esset, & deinde Archiepiscopus Florentinus. A Clemente demum IX. Cardinalis creatus est, atque ex hac dignitate unum modo annum lætatus, septuaginta, & quinque annos natus, Romæ obiit MDCLXX. sepultusque est in Sacello Gentilitio in Templo Florentinorum; En Inscriptio:

Francisco S. R. E.
Tit. S. Bartholomæi in Insula
Presbyt. Card. Nerlio
Archiepiscopo Florentino
Quod per plures, & ingentes
Munerum, ac dignitatum
Atque omnes pietatis, ac doctrinæ
Gradus
Ad gloriæ, promeritorumque apicem
Continenter ascendit
Franciscus S. R. E.
Hujus Tit. S. Mathæi in Merulana
Presb. Cardinalis Nerlius
Archiepiscopus Florentinus
Patruo ac decessori memorabili
Posuit
Ann. D. CIↃIↃCLXXXII.
Obiit Romæ VI. Nov. MDCLXX.
Ætatis LXXV.

DECIUS AZOLINUS CARD.

HIC etsi latine scribebat eleganter, & prudenter, uti ex ejus Epistolis constat, quæ extant in Tabulario Vaticano, tamen multo ejus notior in agendo solertia, quam in scribendo concinnitas. Itaque decem annos *Secretarius* fuit Innocentii X., cujus gratia floruit. Cardinalis deinde factus valuit apud omnes auctoritate plurimum. Christina Svecorum Regina ita eum magni fecit, ut hæredem instituerit suum. Id quod etiam tamquam magnificum

ficum in Elogio ejus Sepulchri legitur, quod eſt in Templo S. Mariæ in Vallicella:

D. O. M.

Decius Cardinalis Azolinus Firmanus egregia fide invicta animi fortitudine Apostolicæ Sedi perpetuo addictus Summis Pontificibus acceptissimus, apud quos consilio potens, opere strenuus magnæ Christinæ Alexandræ Orthodoxæ Svecorum Reginæ ex testamento hæres obiit VI. *id. Jun.* MDCLXXXIX. *æt.* LXVII.

NATALIS RONDININIUS.

IN hoc adoleſcente magna apparuit ingenii vis. Legenda ſunt ejus carmina in libro Antuerpiæ edito MDCLXII. typis Plantinianis, qui inſcribitur *Septem illustrium virorum Poemata*. Hunc Alexander VII. Poeta, & Pontifex illuſtris, ejus eruditione, atque ingenio captus, *Secretarium* ſuum, & Canonicum Baſilicæ Vaticanæ fecit, quum annos nondum haberet XXVII. Neque diutius eo honore frui potuit. Immature enim interiit, tumulatuſque eſt in ſepulchro extructo magnifice in Templo S. Mariæ ad Portam Flaminiam. Hoc autem ejus eſt Elogium, quod etiam a Mandoſio in Bibliotheca Romana affertur Tom. II. pag. 213.

D. O. M.

Natali Rondinino Romano Alexandri fil. Pauli Æmilii Card. Fr. pietate ingenio eruditione Romanæ juventutis facile Principi qui XXVII. *annum agens ab Alex. VII. P. M. Præfectus Epistolis ad Principes operam suam Pont. sapientissimo ita probavit ut mox ab eo Canonicatu Vatic. Basil. auctus fuerit nova in domesticas imagines decora illaturus nisi majora in dies de se pollicentem repentina vis morbi in ipso robore ætatis Reipub. eripuisset Felix Zacchia filio dulcis. contra Votum superstes P. obiit anno Domini* MDCLVII. *ætatis suæ* XXX.

MARIUS SPINULA GENUENSIS.

HIC Clementis X. Innocentii XI. Innocentii item XII. *Secretarius* fuit; neque tamen habendus in doctorum hominum numero, quum nihil scripserit, neque magnopere visus fuerit aut curasse, aut potuisse famam consequi ejusmodi. Epistolæ quidem ejus Pontificiæ, quæ in Tabulario Vaticano extant, & quas legimus, tenues admodum sunt, & jejunæ. Quapropter memoriæ traditum est, plerumque ad scribendas Pontificias Epistolas de rebus gravioribus adhibitum esse Augustinum Favoritum, eruditum hominem temporibus illis, & Poetam latinum maxime celebratum.

ULYS-

ULYSSES GOZZADINIUS BONON. CARDINALIS.

OPtimis ſtudiis inſtructus Gozzadinius, doctos omnes viros mirifice complexus eſt, fuitque magis hac illuſtris benevolentia, quam ſcriptis ſuis, quæ neque multa ſunt, neque ſatis ad præclaram eloquentiæ formam elaborata. Quod tamen temporis vitio potius, quam hominis tribuendum puto, ut in Dialogo innuimus. Hunc Innocentius XII. Pont., & Clemens XI. ſucceſſor *Secretarium* ſuum fecerunt. Hic vero poſtremus etiam Cardinalem. Epiſcopus fuit Forocornelienſis, & Legatus Pontificius Æmiliam Provinciam ſancte, prudenterque rexit. Hujus orationes duas habemus, Italicam unam, quam in Capitolio habuit de Sculpturæ, Picturæ, atque Architecturæ artibus: ad Ravennates latinam alteram, quum Legatus eſſet. Hujus Cardinalis Elogium MS. extat in exquiſita Renati Cardinalis Imperiali Bibliotheca. Ejus etiam mentionem facit Guarnaccius Præſul doctrina, & Eccleſiaſticæ hiſtoriæ eruditione clarus in eo libro, quem de Cardinalibus, Ciacconii exemplum ſequutus, diligenter contexuit.

Hic autem non alienum ab inſtituto Scriptionis meæ puto, ſi Fœminam ex hac familia latinis literis mirabiliter eruditam commemorem. Bettiſia enim Gozzadinia Amatoris Gozzadinii Filia an. MCCXXXII. latina funebri oratione Ludovici Frattæ Bononienſis Epiſco-

piſcopi laudes in Templo Bononiæ maximo perſequuta eſt; Juriſprudentiam publice docuit; atque a Summis Pontificibus ſummo in honore habita fuit. At ſingularis mea obſervantia erga Ulyſſem Gozzadinium Cardinalis, de quo loquimur, Fratris Filium, qui nunc Romæ pro Patria magna cum diligentiæ ac ſplendoris laude Oratorem agit, poſtulat quidem, ut hoc loco eum honoris, & reverentiæ cauſſa nominem, & non falſo, non ambitioſe, ſed proprie, vereque affirmem, omnia vetuſtiſſimæ, nobiliſſimæque Gozzadiniæ familiæ ornamenta in eum conjunctim derivaſſe, ita ſcilicet, ut ob politioris doctrinæ præſtantiam morumque ſuavitatem *delibatus Bononienſis flos Nobilitatis* vere appellandus eſſe videatur.

CHRISTOPHORUS BATTELLIUS.

HIC in Provincia natus Montis Feretrii loco ignobili, qui Saxum Corbarium dicitur, familiaritate uſus Card. Albani, ad *Secretarii* officium ab eodem, quum Pontifex fuit, poſt Gozzadinium admiſſus eſt. Atque hunc locum apud illum, toto Pontificatus tempore, tenuit. Laudata eſt *Diſſertatio* ejus, quæ inſcribitur: *Expoſitio aurei Numiſmatis Heracliani ex Muſæo Clementis XI. Pontificis Maximi. Ritum annuæ ablutionis Altaris Majoris Baſilicæ Vaticanæ in die Cœnæ Domini*, libro edito explicavit, atque illuſtravit. Dedit etiam ad Lan-

cilium

cisium Medicum celeberrimum *de Vestigiis Villæ Plinianæ* literas non ineruditas.

Orationem habuit *de Laudibus* S. Pii V. in Basilica Liberiana, cujus erat Canonicus, & in qua sepultus est cum hac Inscriptione non sane eleganti:

D. O. M.

Joanni Christophoro Battello ex Urbinate Provincia olim hujus Sacrosanctæ Basilicæ Canonico utriusque Signaturæ Referendario Archiepiscopo Amaseno Pontificio solio Assistenti, & sanctissimi sapientissimique Pontificis Clementis XI. integro decennio Apostolicorum Brevium ad Principes a secretis qui ad regionem viventium demigravit die XXX. *Mensis Julii* MDCCXXV. *annos natus* LXVII. *menses* VIII. *Executores Testamentarii Monumentum posuere.*

MATTHÆUS SCALLIONIUS.

OMnem hic, in agro Viterbiensi natus, fortunam debet suam Innocentii XIII. Pontificis benevolentiæ, qua illum ita complexus est, ut etiam *Secretarium* suum fecerit. Tum autem maxime intellectum est, posse homines benevolentia Principis locupletes, atque honoratos fieri, doctos, atque idoneos non posse. Itaque vix tenuit locum, quandiu Pontifex vixit, qui vixit brevi: Canonicus tamen obiit Basilicæ Lateranensis.

CA-

CAROLUS MAJELLA NEAPOLIT.

IN Seminario Neapolitano posuit hic rudimenta doctrinæ, in qua tantos progressus fecit, ut etiam adolescens peridoneus visus sit, qui alios doceret. A schola abductus, & Canonicus Neapolitanus factus quædam scripsit pro jure Ecclesiæ Romanæ, quæ adeo Clementi XI. Pontifici probata sunt, ut eum Romam evocaverit, atque unum fecerit ex intimis Sacellanis suis. Deinde Bibliothecæ Vaticanæ Custos, & Vaticanæ item Ecclesiæ Canonicus; postremo autem Benedicti XIII., nec non Clementis XII. *Secretarius* fuit. Quam præclare se in eo munere gesserit, satis ostendimus in Dialogo. Mortuus est Neapoli, quo se valetudinis caussa contulerat, tertio Kal. Jan. MDCCXXXVIII. Hujus elogium scripsit Alexius Symmachus Mazzocchius, vir sane doctus, atque omnis antiquitatis peritus, his verbis:

Carolus Majellus Neapolitanus olim Canonicus, deque hoc Capitulo optime meritus, quam a puero pietate, & literis præstans fuerit, Seminarium hoc ejus ope ad tantam gloriam provectum declarat. Nihil certe in obstrusioribus disciplinis, & linguis arduum fuit, quod non vi ingenii, & labore pervicerit. Ultro Romam a Clemente XI. evocatus, & quum Bibliothecæ præfectura, tum Canonicatu S. Petri donatus, postremo a Benedicto XIII. Secretarius ad Principes, & Archiepiscopus Emissenus creatus fuit,

in

in quibus muneribus præter auream eloquentiam, & latini ſermonis nativam elegantiam, quum virtutibus omnibus ad miraculum eniteret, nullum in Aula Romana majoris molitninis negocium fuit, quod non ejus opera feliciter ceſſerit. Omnium opinione Cardinalatu digniſſimus Neapoli obiit. III. *Kal. Jan. an. MDCCXXXVIII.*

Sunt etiam verſiculi Nicolai Capaſſi in ejus laudem:

Et ſancte vixit ſophos hic, & vixit in Aula.
Non modo ſprevit opes, ſprevit & ingenium.

Denique vitam ejus ſcripſit diligenter, ac non ineleganter Evodius Aſſemanus Archiepiſcopus Apamenſis in *Præfat. ad Acta SS. Martyrum Orientalium.* Quare Majeliæ ſtudioſos ad librum illum delegamus.

JOANNES VINCENTIUS LUCCHESINIUS.

LUcæ natus eſt vetuſta, ac nobili familia, quæ claris doctiſque viris, atque etiam fœminis floruit. Hadrianum Piſis audivit, Doctorem tum eloquentiæ inſignem. Romam quum veniſſet, græca cum latinis conjunxit. Demoſthenis Orationes aliquot vertit e græco, de quibus varium fuit eruditorum judicium. Rollinus Gallus, veteri conſcripta hiſtoria clarus, eum magnopere collaudat. Quapropter quum doctrinæ ejus fama percrebuiſſet, viſum eſt Clementi XI. Pontifici literatorum amantiſſimo,

mo, hominem apud se vocare, ut epistolarum Latinarum *Secretarii* munere fungeretur. Hic autem animadvertendum est, non eundem hunc esse *Secretarium*, atque eum, de quo nos scripsimus. Etenim epistolæ, quas scribit, Pontificiæ dici non possunt, quum non Pontificis, sed *Secretarii* (ut ajunt) *Status* nomine scribantur, qui manum etiam iisdem epistolis, & sigillum apponit suum; ut Pontificis *Secretarius* non possit proprie nominari. At *Secretarius*, de quo loquuti sumus, & epistolis, sive (ut ajunt) *Brevibus* subscribit ipse, & Pontificio utitur sigillo, & recte appellari potest scriptor Pontificiarum epistolarum. Ad hoc vero munus tam præclarum non est Lucchesinius, nisi sero, postque Majestatæ ab Urbe discessum a Clemente XII. evocatus, in eoque perseveravit, quoad vixit, Benedicto etiam XIV. Pontifice. Scripsit Lucchesinius Historiam sui temporis, quæ Romæ typis Mainardianis evulgata est. Canonicus etiam fuit Vaticanæ Ecclesiæ. Obiit Romæ octoginta amplius annos natus, magna, & probitatis, & doctrinæ fama; sepultusque est in Vaticano, atque a nobis publice laudatus ea latina Oratione, quæ pervenit in manus hominum.

Quo-

QUoniam multi ſunt, qui a me flagitant, ut de ceteris etiam, qui Lucchesinio hactenus ſucceſſerunt, & de quibus in Dialogo a Lucchesinio ipſo mentio fieri non potuit, judicium feram, libenter obtemperabo, idque paucisſimis verbis præſtare conabor.

Primum itaque Lucchesinio ſuffectus eſt CAJETANUS AMATUS S. Severini in Picentinis natus, non admodum quidem in latine ſcribendo elegans, ſed multæ homo probitatis ac diligentiæ. Obiit anno 1759.

Amatum excepit THOMAS EMALDUS Lugienſis, cui ſi quis vel Jurisprudentiæ, vel Theologiæ, vel politicæ cujuſdam prudentiæ laudem, atque ornamenta alia conceſſerit, non magnopere contendam; ab ea tamen facultate, quam id munus maxime flagitat, deſerebatur, neque ad Pontificias Epiſtolas latine ſcribendas Latinis literis Amato inſtructior acceſſit. Obiit Romæ ann. 1762. Baſilicæ Lateranenſis Canonicus.

Emaldo ſucceſſit MICHAEL ANGELUS JACOMELLIUS Piſtorienſis, græcis, latinis, italiciſque Literis apprime eruditus; qui quandiu Clemens XIII. vixit, *Secretarius* Brevium ad Principes fuit. Nunc Canonicatu Baſilicæ Vaticanæ auctus, & Archiepiſcopatu Chalcedonenſi ornatus, literatæ ſenectutis otio perfruitur.

De-

Denique Summus Pontifex CLEMENS XIV BENEDICTUM STAYUM Ragusinum *ab Epistolis* sibi delegit. Virum excellentis virtutis atque doctrinæ, mihique amicissimum, quem tamen nescio utrum plus diligam propter modestiam, ac probitatem, an propter ingenii, scientiæque præstantiam. Recentior utraque Cartesii, Neuthonique Philosophia Lucretianis versibus ab eodem tradita ejus nomen immortalitati jamdiu commendavit. Qui viri clarissimi mores atque doctrinam probe exploratam habent, me in eo commendando nihil amicitiæ tribuisse facile concessuros scio.

Ut

UT iis mos geratur, qui tum primâ ann. MDCCLIII. tum alterâ ann. MDCCLXX. hujus Libri editione conquesti sunt, non omnium scribarum Pontificiorum fuisse rationem habitam, multò uberiorem illorum seriem afferre è re visum est: licèt quamplurimi ex iis in hujusmodi Collegio fuerint vel lucri, vel honoris gratia; neque ideò ejus Scriptoris munere ac officio functi verè dici possunt, de quo in Dialogo est habitus sermo, & qui antiquitùs Domesticus Pontificis dicebatur Scriba, nunc dicitur Scriptor Epistolarum ad Principes. Multa autem ex his nominibus eruta sunt è Romanis Regestorum, ut ajunt, Libris, qui quidem adscriptum habent annum & diem, quo quisque in id Collegium admissus fuit, quove ab eo recessit. Nam Callistus III. & Pius II. sex Pontificios Scribas esse voluerunt. Innocentius VIII. triginta statuit, qui tamen postmodùm XXIV. esse deberent præter Domesticum: Sed Paulo III. Pontifice adhuc censebantur XXX. ut ait Bembus in Præf. Epistol. Leonis X. *Demùm Innocentius XI. Collegium, uti dictum est, omnino substulit. Aliquot etiam nomina excerpta fuerunt ex Auctoribus, minimè quidèm spernendis, qui hæc memoriæ prodiderunt. Sanè constat, nonnullos ex iis quoque, qui in Dialogo, Elogiisve non commemorantur, claros haberi viros: quorum tamen laudes vulgò innotescunt; neque verò ipsi claruerunt Pontificiarum scriptione Epistolarum, quarum vel nullas, vel certè perpaucas conscripserunt. Eos autem, qui pluribus inservierunt Pontificibus, semel tantùm hic appellatos esse satis sit.*

PONTIFICES.	SECRETARII.
DAMASUS I.	S. Hieronymus.
S. LEO MAGNUS.	S. Profper.
PELAGIUS II.	S. Gregorius Magnus.
HONORIUS I.	Joannes Abbas.
INNOCENTIUS III.	Petrus Beneventanus.
INNOCENTIUS IV.	Riccardus Pofianus. Berardus de Neapoli.
GREGORIUS X.	Marinus Ebulenfis.
INNOCENTIUS V.	Thomas Campanus.
BONIFACIUS VII. al. VIII.	Joannes Bononienfis.
CLEMENS VI.	Jo. And. Calduinus Bononienfis.
INNOCENTIUS VI.	Zenobius e Strata. Coluccius Salutatus. Guillelmus Baro. Joannes de S. Martino. Nicolaus Ledifeur. Lucas de Penna.

PON-

PONTIFICES.	SECRETARII.
URBANUS V.	Franciſcus Brunus. Nicolaus de Auximo.
GREGORIUS XI.	Theodoricus Niemius. Joannes de Templis. Angelus de Reate. F. Franciſcus de Brunis.
URBANUS VI.	Franciſcus de Canzanico. Gerius Gerius Florentinus.
BONIFACIUS VIII. al. IX.	Bartholomæus Franciſci de Piſtorio. Petrus de Boſco.
INNOCENTIUS VII. GREGORIUS XII.	Poggius Bracciolinus. Leonardus Arretinus. Franciſcus de Ragazzis de Monte Politiano. Bartholomæus Capra.
ALEXANDER V.	Ubertus Decembrius.
JOANNES XXI. al. XXIII.	Jacobus Angeli Scarpariensis. Conſtantinus Pergula.
MARTINUS V.	Angelus Bellarminus de Monte Politiano.

PONTIFICES.	SECRETARII.
	Dominicus Card. Capranica.
	Jacobus Languſcus.
MARTINUS V.	Antonius Luſcus.
	Cincius Romanus.
	Paulus Capranica.
	Bartholomæus Politianus.
	Flavius Blondus.
	Maffæus Vegius.
	Joannes Auriſpa.
EUGENIUS IV.	Nicolaus Perottus.
	Andreas Floccus.
	Bartholomæus Rovorella Card.
	Horatius Romanus.
	Ranuccius Arretinus.
	Jannotius Manettus.
	Petrus Nucetanus.
	Petrus Candidus Decembrius.
NICOLAUS V.	Æneas Sylvius Piccolomineus, qui fuit Pius II. P. M.
	Joannes Tortellius.
	Franciſcus Philelphus.
	Laurentius Valla.
	Georgius Trapezuntius.
	Joannes Tuſcanella.

PON-

PONTIFICES.	SECRETARII.
NICOLAUS V.	Jacobus Vannuccius. Marcellus. P. Lunenſis. M. Ferrari. Joannes Coſida.
CALLIXTUS III.	Jacobus Ammannatus Card. Gaſpar Veronenſis. Jacobus Paſſarellius. Antonius Venierius.
PIUS II.	Joannes Gobelinus. Gorus Senenſis. Leonorus Bononienſis.
PAULUS II.	Baptiſta Reatinus. Nicolaus Sandonninius. Sigiſmundus de Comitibus. Jacobus Aurelius Queſtembergenſis.
SIXTUS IV.	Joannes An. de Buxis Ep. Alerienſis. Benedictus Maffæus. Domitius de Calderiis, ſive Calderinus. Andreas Trapezuntius.

PONTIFICES.	SECRETARII.
	Franciſcus Nozeranus.
	Marcellus Ruſticus.
	Gaſpar Blondus.
	Jacobus Volaterranus.
Sixtus IV.	Leonardus Datus.
	Mathias Palmerius.
	Auguſtinus Stacciolus.
	Leonardus Griphus.
	Bartholomæus Scala.
	Hieronymus Balbanus.
	Willelmus Caorſinus.
	Joannes Petrus Arrivabenius.
	Joannes Laurentius.
	Joannes Venerius.
	Benedictus Superantius.
	Laurentius Cybo.
Innocentius VIII.	Chriſtophorus Cortonenſis.
	Joannes de Viterbio.
	Thomas Jacobi.
	Franciſcus Soderinus.
	Hieronymus de Comite.
	Malitia de Geſualdo.
	Joannes Alimentus.
	Ludovicus de Agnellis.
	Leonellus de Trotis.
	Falco de Sinibaldis.

PON-

PONTIFICES.	SECRETARII.
	Jacobus Cajetanus.
	Julianus de Cæsarinis.
	Sinolphus Ottelius de Comitibus Montorii.
	Paulus Petrus de Farnesio.
	Jo. Al. de Nigris.
	B. Nicosien.
INNOCENTIUS VIII.	Baptista de Gavionibus.
	Jo. Ragusinus.
	Jacobus Ficherier.
	Jo. Croton.
	Joannes Gerona.
	Hier. Massanus.
	Petrus Altiferrus.
	Bartholomæus Floridus Archiep. Consentinus.
	Ventura Benassai.
	Adrian. Cornetanus Cardinalis.
ALEXANDER VI.	Ludovicus Podocatharus.
	Carolus Verardus.
	Ferdinandus Poncetus.
	Alphonsus Acca.
	Paulus Æmilius Cæsius.
PIUS III.	Antonius Ursus Ep. Agiensis.
	Paulus Cortesius.

PONTIFICES.	SECRETARII.
JULIUS II.	Joannes Franciſcus de Comitibus. Henricus Brunus. Gabriel Gabrielius. Jo. Dominicus El. Tranenſis Card. Alexander Chiſius.
LEO X.	Petrus Bembus Card. Jacobus Sadoletus Card. Angelus Colotius. Jo. Franciſcus Bracciolinus. Æmilius Ferrettius. Franc. Caſtellionenſis. Joannes Antonius Centorius. Auguſtinus Spinula Ep. Peruſinus, poſtea Card. Camerarius.
ADRIANUS VI.	Benedictus Accoltus Cardinalis. Paulus Valdarabinus. Fabius Vigil. Fridericus Heſius.
CLEMENS VII.	Bloſius Palladius. Jo. Matt. Gibertus. Joannes Bapt. Sanga.

PON-

PONTIFICES.	SECRETARII.
	Marcus Aurelius Vergerius.
	Petrus Carneſecca.
	Fernandus de S. Cruce.
	Philippus Sergardus de Senis.
	Nicolaus de Gaddis Card.
	Jo. Hieronymus de Rubeis.
	Honophrius de Urſinis.
	Ugo Epiſc. Regienſis.
	Carolus Spinula El. Peruſinus.
	Antonius Gratiadei.
Clemens VII.	Evangeliſta Taraſconus.
	Euſebius Scutarius.
	Franciſcus Card. Cornelius.
	Alexander de Laude, ſive de Lecamis.
	Joannes Franciſcus Archiep. Beneventanus.
	Antonius de Ruvere.
	Thomas Salvago.
	Alexander Calcaneus.
	Garzias Gibraleon.
	Dominicus Centurionus.
	Franciſcus de Caimis.
	Petrus de Fano.
	Angelus Colotius.

PON-

PONTIFICES.	SECRETARII.
	Joann. Petrus de Scendo.
	Franciscus Spinula.
	Philippus de Agnellis.
	Joannes Burgarinus.
	Joannes Ep. Melfitanus.
	Joannes Cybo Ep. Agrigentinus.
	Marinus Caracciolus.
	Cæsar Patriarcha Alexandrinus.
	Zaccarias de Garzonibus.
	Joannes Bapt. Gallettus.
	Andreas Bondelmontus.
	Nicolaus Card. Rodulphus.
CLEMENS VII.	Joannes Antonius Centorius.
	Benvenutus Oliverius.
	Aloysius Centorius.
	Antonius Nerlus.
	Joannes Carotius.
	Thomas El. Cariatensis.
	Joannes Maria Archiep. Sipontinus.
	Ludovicus de Torres.
	Joannes Tornabonus.
	Leonardus Tornabonus Ep. Adjacensis.
	Jannotius de Puccis Ep. Melfiensis.

PON-

PONTIFICES.	SECRETARII.
	Auguſtinus Spinula Card. Camerarius.
	Petrus Lambertus Ep. Caſert.
Clemens VII.	Franciſcus Petri del Nero.
	Trajanus de Alicornis.
	Marcellus Cervinus, qui fuit Marcellus II. P.M.
	Bernardinus Maffæus Cardinalis.
	Nicolaus Ardinghellus.
	Latinus Juvenalis.
	Romulus Amaſæus.
	Galeatius de Riario.
	Jacobus Cardellus.
	Chriſtophorus Ep. Caſſanenſis Card. Datarius.
Paulus III.	Hieronymus Ep. Vaſionenſis.
	Bernardinus Becalla.
	Balthaſar de Piſcia.
	Joannes Rodericus de Rojas, Archiep. Conſanus.
	Marcellus Auguſtinus.
	Andreas de Cave.
	Joannes Riccius.
	Ferdinandus Torre.

PON-

PONTIFICES.	SECRETARII.
	Hieronymus Justinus de Castello.
	Pandulphus de Puccis.
	Durantes Ep. Algarensis Card.
	Laurentius Rodulphus.
	Franciscus Soderinus.
	Hieronymus Theodolus Ep. Gadicensis.
	Ambrosius de Recalcatis.
	Rainutius Farnesius.
	Nicolaus Casulanus.
	Ludovicus Sergardus.
	Paulus Ep. Caturiensis.
	Petrus Lucatellus.
Paulus III.	Jo. Hieronymus de Rubeis El. Papiensis.
	Nicolaus Ep. Forosempronienis postea Datarius.
	Paulus Barbadicus.
	Agapetus Marii Bellhomo.
	Antonius Perenotus.
	Joannes Poggius Card.
	Ascanius Ep. Ariminensis Thesaurarius.
	Paullus Serralius.
	Bernardinus Helvinus Ep. Anglonen.
	Petrus de Durantibus Ep. Termulen. postea Datarius.

PON-

PONTIFICES.	SECRETARII.
	Ubertus Strotius.
	Galeatius Rotulus Cleric. Toletan.
	Thomas Cadamustus.
	Hier. Thomanus Melchiorius.
	Scipio de Sancta Cruce.
	Leo de Lancerinis.
	Jo. Riccius de Monte Politiano.
	Laurentius Rodulphus.
	Julius de Grandis Ep. Anglonen.
PAULUS III.	Bernardinus Archiep. Surrentinus.
	Joannes Vincentius Dulcius.
	Christophorus de Saulis.
	Paulus Ep. Caturcen.
	Alexander Ruffinus El. Melphien.
	Antonius Bindi de Altovitis. El. Florentin.
	Andreas Joannis Lippomani.
	Petrus Barbadicus Ep. Corsulen.
	Paulus Sadoletus.
JULIUS III.	Joannes Franciscus Binius.

PON-

PONTIFICES.	SECRETARII.
	Trypho Bencius.
	Galeatius Florimontes.
	Joannes Casa.
	Ludovicus Lippomanus.
	Angelus Massarellus.
	Julius Cananius Card.
	Ferdinandus Torres.
	Honophrius Vigil.
	Julius Riarius.
	Julius Riccius.
	Hyppolitus Capilupus.
	Fabianus de Monte.
	Benedictus Lomellinus.
Julius III.	Hieronymus de Corrigio Card.
	Andreas Raphaelis de Turrigianis.
	Ugo Boncompagnus Card.
	Camillus Piperajus.
	Michael Angelus Spata.
	Alexander de Grandis.
	Prosper de Sancta Cruce Ep. Risamen. Card.
	Jacobus de Nigro.
	Aloysius Cornelius.
	Jo. Baptista Gallettus.
	Nicolaus Aragonia.
	Jo. Bapt. Lomellinus.
	Joannes Ep. Parentinus.

PONTIFICES.	SECRETARII.
	Benedictus Melchiorius.
	Bernardus de Acciajolis.
Julius III.	Hieronymus Ep. Torcellan.
	Joannes Campeggius Ep. Tarentinus deinde Bononienſis.
	Annibal Oricellarius.
	Petrus Paulus Gualterius.
	Cæſar Glorierius.
	Antonius Florebellus.
	Bartholomæus Camerarius.
	Nicolaus Caſulanus.
Marcellus II.	Aurelius de Nobilibus.
	Camillus Coſta.
Paulus IV.	Franciſcus del Nero.
	Hieronymus Martinengus.
	Joannes Delphinus Ep. Brixienſis.
	Hieronymus Antonius de Fuccaris.
	Marcellus Auguſtinus.
Pius IV.	Julius Rugerius.
	Petrus Ximenes.

PON-

PONTIFICES.	SECRETARII.
	Annibal Minalis.
	Hieronymus de Vecchis.
	Cyprianus Palavicinus.
	Franciſcus Nicolaus Spinula.
	Alexander Card. Farneſius.
	Georgius Cornelius Ep. Tarviſinus.
	Alexander Riarius.
	Julius Maſſettus.
Pius IV.	Galeatius Palavicinus.
	Aloyſius Piſanus El. Patavin. Card.
	Maximus Archiep. Amalphitanus.
	Bartholomæus Concinus.
	Pyrrhus Tarus.
	Julius Cæſar Columna.
	Hieronymus Melchiorius Ep. Maceratenſis.
	Joannes Alphonſus Naldi.
	Julius Pogianus.
	Joannes Bapt. Marinus.
Pius V.	Thomas Aldobrandinus.
	Hugolinus Gualterutius.
	Joannes Rivetius.
	Ferdinandus Spinellus.

PON-

PONTIFICES.	SECRETARII.
	Julius de Maximis.
	Alexander Peregrinus.
	Petrus Joannes de Gradis.
	Philippus Ruis.
	Franciſcus Gentilis.
Pius V.	Antonius Maria Epiſc. S. Papuli.
	Antonius Pintus.
	Marſilius Landrianus.
	Alexander Ruſpolus.
	Joannes Bapt. Amaltæus.
	Leonardus Gryphus.
	Petrus Ventus.
	Joannes Franciſcus Rugerius Venetus.
	Jacobus Boncompagnus.
	Joannes Bapt. Triumphus.
	Guido Pepulus.
Gregorius XIII.	Romulus Cælius Ep. Narnienſis.
	Aloyſius Cornelius Jun.
	Joannes Angelus Papius.
	Dominicus Hatton.
	Carolus Gabrielius.
	Gilius Franceſchinus.
	Ferdinandus Card. Medices.
	Julius Rugerius Regien.

PONTIFICES.	SECRETARII.
	Hieronymus Ruis.
	Antonius Saulus.
	Mutius Ceulus.
	Georgius Cornelius.
	Horatius Oricellarius.
Gregorius XIII.	Scipio Gonzaga.
	Cæſar Lucatellus.
	Camillus Capilupus.
	Antonius Buccapadulius.
	Thomas Gualterutius.
	Antonius Maria Gratianus.
	Joannes Bapt. Canobius.
Sixtus V.	Michael Perettus.
Urbanus VII.	Proſper Rebiba Patriarcha Conſtantinop.
	Julius Cæſar Segnius Ep. Reatinus.
Gregorius XIV.	Marcellus Veſtrius.
Innocentius IX.	
Clemens VIII.	Sylvius Antonianus Cardinalis.
	Marcus Malacrida.
Leo XI.	Petrus Strozzius.

PON-

PONTIFICES.	SECRETARII.
	Lanfrancus Margottius Card.
	Scipio Cobellutius Card.
Paulus V.	Decius Memmolus.
	Porphyrius Felicianus.
	Gaſpar Pallonius.
	Robertus Ubaldinus Cardinalis.
Gregorius XV.	Joannes Bapt. Agucchia.
	Joannes Ciampolus.
	Franciſcus Herrera.
	Julius Roſpiglioſius, qui fuit Clemens IX. P. M.
Urbanus VIII.	Laurentius Azolinus.
	Felix Contelorius.
	Torquatus Perottus Ep. Amelienſis.
Innocentius X.	Gaſpar de Simeonibus.
	Decius Azolinus Card.
Alexander VII.	Natalis Rondininus.
Clemens IX.	Franciſcus Nerlius Card.
Clemens X.	
Innocentius XI.	Marius Spinula.
Alexander VIII.	

PONTIFICES.	SECRETARII.
Innocentius XII.	Ulyſſes Gozzadinius Cardinalis.
Clemens XI.	Chriſtophorus Battellius.
Innocentius XIII.	Matthæus Scallionius.
Benedictus XIII.	Carolus Majella.
Clemens XII.	Joannes Vincentius Luccheſinius.
Benedictus XIV.	Cajetanus Amatus. Thomas Emaldus.
Clemens XIII.	Michael Angelus Jacomellius.
Clemens XIV. Pius VI.	Benedictus Stayus.

PHI-

PHILIPPI BONAMICII
DE VITA
JO. VINCENTII
LUCCHESINII
COMMENTARIOLUM.

3

PHILIPPUS BONAMICIUS

ANGELO FABRONIO

S. P. D.

GAudeo magnopere, ac miras tibi habeo gratias, Fabroni optime, quod me vehementer hortatus sis, ut Joannis Vincentii Lucchesinii Civis mei ac de me optime meriti vitam conscribendam susciperem, illiusque memoriam posteritati diligentissime commendarem. Quum enim nihil malim, quam memorem me gratumque cognosci, tu profecto currenti, ut ajunt, stimulos addis, dum postulas, ut illius nomen scriptis illustretur & celebretur meis, cujus summa in me beneficia extitere. Nam quum nescio quid ex meis latinis elucubrationibus olim perlegisset, adeo vir humanissimus ea lectione delectatus est, ut me statim Romam acciverit laborum comitem atque adjutorem suorum, viamque mibi tam illustri commendatione munierit ad eum honoris gradum, quem CLEMENTIS XIV. P. O. M. *beneficentia sum consecutus. Dum itaque hac in re voluntati tuæ perlibenter obtempero, meæ maxime morem gero. Ac revera sine ullo suasore atque impulsore hoc a me grati animi officium esset jamdiu persolutum, si a mea quadam jam obfirmata opinione atque sententia deduci antea potuissem. Sic enim existimabam, non omnium illustrium virorum e re publica esse, ut vita monimentis literarum tradita pro-*

lixius explicetur. Nam quum alii aut temporibus & publicis exclusi negotiis, aut voluntate sua otium secuti ætatem omnem in humanioribus studiis consumpserint; alii consilio, virtute, fide patriæ præsto fuerint, ac publicæ saluti, dignitati, amplitudini aut in bellis administrandis, aut in tractatione rerum maximarum consuluerint; alii denique (quod est maxime rarum) utrumque præstiterint, ac scribenda strenue sapienterque gesserint, & legenda ornatissime scripserint; ad primum genus hominum quod attinet, semper ea mente sui, ut quum de illorum eruditione scriptisque judicium interposueris, nihil præterea memoriæ mandari oporteat, nisi ineptias meras, aut res levissimas atque usitatas ad legentium fastidium persequi velis. Quum enim abditi litteris nullam publici muneris partem attigerint, nullus illis aditus patuit, quo virtutes quasdam magnificas ac populares expromerent, quæ cum perleguntur, admirationis obtinent plurimum, magnoque posteris ad bene de republica merendum incitamento esse possunt. Illa præterea vitæ æquabilitas atque constantia, qua, qui studiis vacant, maxime delectantur, quanquam non mediocri commendatione digna sit, ea tamen rerum ac vicissitudinum varietate caret, quæ legentium animos allicere ac retinere cum voluptate possit. Hæc, mi Fabroni, a describenda Lucchesinii vita tamdiu prohibuerunt verentem scilicet ne, dum privato grati animi officio satisfacerem, nimis intemperanter abuti viderer otio & literis, cum jampridem hominem laudassem in oratione illa funebri, quam tum primum

mum

mum emisi in manus hominum testem animi amoris & observantiæ erga illum meæ, & mox iterum edendam curavi Dialogo adjunctam, ubi de Claris Pontificiarum Epistolarum Scriptoribus Lucchesinium copiose accurateque differentem induxi. Nunc vero quum tua auctoritas & gravissima cohortatio accesserit, non patiar tantum virum aut a societate doctorum hominum, quorum tu vitas pulcherrime describis, quasi divelli ac distrahi, aut alienis scriptis potius quam meis exornari. Malo etiam cetera omnia, quam benevolentiam erga te meam, si minus auctoritati tuæ obsecutus sim, desiderari. Quumque in hac conscribenda historia magnitudine ac varietate rerum deseramur, brevitate ipsa legentium satietati occurrere diligenter conabimur. Sed antequam ad scribendum aggrediar, patere, quæso, ut tibi maximopere atque ex animo gratuler, quod in nobilissimo Etruscorum Equitum Ordine, inter quos vel tantummodo percenseri honorificentissimum existimatur, recenti beneficio Principis (cui placuisse non ultima tua laus est) dignitatem amplissimam sis consecutus. Macte igitur virtute, Fabroni clarissime; veramque gloriæ viam, quam jamdiu ingressus es, constanter persequere. Vale.

JOAN-

JOANNES VINCENTIUS LUCCHESINIUS Lucæ natus eſt IV. Kal. Quintilis A. D. MDCLX. ex pervetuſta patriciaque familia; quo numero qui ſunt in ea Republica (quæ optimatum eſt) ſummam imperii adminiſtrant. Majores ſui privatis atque ac publicis laudibus floruere. Optimarum enim artium ac literarum ſtudia huic ingenerata familiæ videntur eſſe, ut ne fœminæ quidem ejus gloriæ expertes fuerint. Eoſdem vero ſæpe Reſpublica adhibuit maximis difficillimiſque Legationibus obeundis, quæ quum præſidia ſtabilitatis ſuæ a pacis artibus magis, quam belli repetat, id muneris nonniſi viris ingenio, conſilio, ac rerum gerendarum ſcientia præſtantibus deferre ſolet. Quo factum, opinor, eſt, ut dum ceteræ Etruſcorum Reſpublicæ funditus interierint, ipſa quanquam opibus & ditionis amplitudine minus valeret, ſemper tamen a maximis ſe periculis feliciter explicarit, atque ad hanc uſque diem non ſine omnium admiratione dignitatem ac libertatem ſuam egregie tueatur. Scipio pater excellentis vir ingenii atque doctrinæ, & domi foriſque in maximis Reipublicæ negotiis ſæpe ac diu verſatus nihil habuit antiquius, quam ut puer ad avitam familiæ laudem educaretur. Ac primum quidem privato doctore uſus eſt, ut prima artium rudimenta perdiſceret, quibus ætas puerilis informari ſolet; ſed non multo poſt a privata domi

mi

mi institutione ad publicam Senas traductus est; qua in nobilissima Etruriæ urbe per id tempus recens Collegium institutum fuerat (quod a Ptolomæi fundatoris nomine Ptolomæum dicitur) quo adolescentes nobiles ad omnem humanitatem informarentur, ut optimum pueri ingenium jam domi exploratum æqualium æmulatione acueretur etiam magis, qua de caussa privatæ publica institutio præstare creditur. Neque vero ea spes parentes fefellit. Vix enim credibile videtur, quam celeriter in omni doctrina profecerit. Erat enim in puero præter miram ingenii docilitatem, qua quæcunque tradebantur facillime corripiebat, summa etiam diligentia, qua præstabat omnibus. Quum itaque Senis id studiorum curriculum, quod in collegiis tradi solet, quam celerrime absolvisset, Pisas adhuc adolescens se contulit, ut in celeberrimo ejus urbis Lyceo, postquam Senis Oratoriæ ac Poeticæ facultati, Philosophiæ ac Theologiæ operam dedisset, Jurisprudentiam ac Mathematicas disciplinas excoleret. Dum tamen hæc nova studia prosequebatur, vetera non neglexit, atque ea præcipue, quæ ad humanitatem spectant. Fuit enim Adriani Belgæ, & Alexandri Marchetti virorum in eodem Lyceo eloquentia præstantium assiduus auditor, ac doctissimorum hominum, qui in ea urbe frequentes sunt, consuetudine unice delectabatur. Quum itaque tam multiplici reconditaque eruditione esset instructus, Florentiam accitus est a patre, qui apud Magnum Etruriæ Ducem Lu-

cen-

censis Legati munere defungebatur; ibique sub illius disciplina politicas res attigit, atque una cum patre in maximis Reipublicæ negotiis est summa cum laude versatus. Sed quum Ecclesiasticæ vitæ rationem jam a pueritia susceptam persequi decrevisset, Romam proficisci statuit, quo Ecclesiasticis præsertim viris apertior est cursus ad laudem. Itaque bona cum patris venia eo se contulit, regnante Pontifice Innocentio XII. cui a Magno Etruriæ Duce commendatus diligentissime fuerat. Ea tamen Magni Ducis commendatio non tam verecundo juveni profuit, quam obfuit modestia. Romæ enim in petendis honoribus non modo semper, ut cursus cursu, ita virtute virtus superatur, sed persæpe accidit, ut arrogantia atque importunitate hominum imperitorum & insignia virtutis & præmia auferantur. Quapropter Lucchesinius serius ad honores pervenit, quam illius dignitas & eruditionis præstantia, & vitæ probitas flagitare viderentur. Dum tamen se in occulto continuit, idoneum tempus nactus est studiis obsequendi suis. Cum Latinis etiam Græca conjunxit, ut difficile dictu sit, in utra facultate plus deinde excelluerit. Frequentabat autem eos hominum cœtus, quos studiorum honestissimorum societas, similitudoque morum sibi copulaverat. Quum autem quamdam Demosthenis orationem, quam exercendi ingenii, stylique acuendi caussa Latine verterat, in hujusmodi doctissimorum hominum conventu recitasset, tanto omnium plausu excepta est, ut ad aures Clementis XI.

Sum-

Summi Pontificis literarum, & literatorum hominum studiosissimi fama pervenerit; qui hominem ad se acciri jussit, ejusque ingenio & eruditione adeo delectatus est, ut statim multa in eum beneficia contulerit, ac multo plura pollicitus sit. Idem Clemens XI. Lucchesinio auctor fuit, ut ceteras Demosthenis de Republica orationes Latio donaret; neque quicquam deinceps Lucchesinius antiquius habuit, quam ut summo studio atque alacritate tanti Pontificis auctoritati voluntatique obsequeretur. Itaque orationes XII. latine vertit, auxitque eruditissimis adnotationibus, quibus totius veteris Græciæ atque Atheniensium in primis Reipublicæ historia maximè illustratur. Quo difficillimo labore quum feliciter perfunctus esset, opus in lucem edidit, eidemque Summo Pontifici jam de se optime merito inscripsit consecravitque. Pergratum Clementi XI. intelligenti eloquentiæ æstimatori, perque jucundum accidit litterarium Lucchesinii munusculum, illique statim ducentos viginti nummos aureos pendi quotannis jussit; effecitque non multo post, ut ejus opera in scribendis latinis literis uteretur Cardinalis ille, quem *Secretarium Status* vocant. Huic muneri illud adjunctum est, ut latine etiam ad universi orbis Episcopos rescribatur, qui sapientissimo Sixti V. decreto de statu suæ quisque Diœcesis certiorem tertio quoque anno Pontificem Max. faciunt. In hoc mediocri munere versatus diu est non mediocri cum laude Lucchesinii labor. Neque vero, nisi qui in Romana aula sit plane hospes,

ſpes, tantum virum tam ſero ad ampliores honorum gradus perveniſſe mirabitur, ſi intelligat Lucchelinium a Juriſprudentia, atque ab omni forenſi diſciplina, cui liberior patet ad gratiam, ad opes, ad dignitates curſus, ſemper abhorruiſſe, ut vulgo ſolent, quibus in amore ſunt politiores literæ, maluiſſeque ubertimis Juriſprudentiæ fructibus, quam pulcherrimarum artium ac ſtudiorum ſuavitate carere. Neque tamen non eos ſemper coluit, quibus conjuncta ineſſet cum Juriſprudentia, liberali homine digna eruditio; inter quos maximi ſemper fecit Lanfredinium Cardinalem, qui ætatis ſuæ juris peritorum eloquentiſſimus, atque eloquentium juris peritiſſimus appellari vere poteſt. Hunc Lucchelinius conſuetudine ſua ſic ſibi devinxerat, ut nemo illi fuerit carior; quumque propter quotidianas occupationes minus ſæpe, quam vellent, mutuis colloquiis frui poſſent, nullus ferme dies intercedebat, quin ſibi mutuo latine ſcriberent. Erat Lanfredinius Cardinalium Concilii Tridentini interpretum a *Secretis*; cujus eſt, propoſitis in utramque partem rationum momentis, quæcumque de Jure Eccleſiaſtico in diſceptationem cadunt, ad Patres latine ſcripta referre. Hujuſmodi Lanfredinianas quæſtiones ſi quis perlegerit, fateatur neceſſe eſt, veram germanamque eloquentiam cum Juris Eccleſiaſtici prudentia poſſe egregie conjungi, quique aliter ſentiant, eos infantiam ſuam huic facultati vitio vertere. Hujuſmodi tamen latine perſcriptas quæſtiones, modo quas commemoravi, nolebat Lanfre-

fredinius emitti in manus hominum, nisi prius semel & iterum cum Lucchesinio communicasset. Sed præter juris scientiæ fastidium huic non mediocri etiam impedimento fuit ad ampliores citius honores consequendos summa ejus modestia, qua literis abditus sibi vacabat, atque a concursationibus, prehensationibus, ceterisque aulicis artificiis, quibus, qui fortunæ velificantur suæ, uti necesse est, omnino abhorrebat. Quum itaque in hoc munere diu hæsisset Lucchesinii fortuna, a Pontificatu scilicet Clementis XI. ad obitum ferme Clementis XII. tandem aliquando anno ætatis suæ LXXVI. ad Pontificias scribendas Epistolas, quas Brevia ad Principes vocant, accitus est. Nihil tamen propius fuit, quam ut certorum hominum importunitas atque ambitio hunc Lucchesinio honorem præriperet atque occuparet. Sed vir clarissimus Bottarius, qui quum ipse eruditissimus sit, de aliorum eruditione atque doctrina verissime judicat, prolixe egit cum Cardinali Nereo Corsinio Clementis XII. Fr. F., cujus tum summa erat auctoritas, ut ne quempiam pateretur Lucchesinio in honore præferri, qui omnes & doctrina & latina maxime facultate antecelleret. Hac Bottarii commendatione Lucchesinium graviore licet ætate affectum Cardinalis omnibus prætulit; ac perinde aliqua ipse in culpa esset, quod tamdiu tanti viri nulla pro dignitate ratio habita esset, palam testatus est, curaturum se, ut a patruo Pontifice inter Cardinales cooptaretur. Sed ad honorificentissimum conscribendorum Brevium munus ille

pro-

profecto attulisse videtur ornamenta omnia, de quibus eundem Lucchesinium nostro in Dialogo de Claris Epistolarum Pontificiarum Scriptoribus enucleate differentem inducimus. Quum vero in eo munere etiam Benedicto XIV. operam probasset suam, ac quatuor jam supra octoginta annos natus esset, gravedine ac tussi ejus valetudo tentari cœpit; quo ex morbo se celeriter recreatum iri arbitratus est, si prolixiori deambulatione sudorem provocasset, quam quidem frustra sibi medicinam adhibuit. Quum enim violentiori motu debilitatum corpus domum retulisset, vis morbi noctu ingravescens illi spiritum interclusit, vitamque perbrevi tempore extinxit. Obiit A. D. MDCCXLIV. Elatus est solemni funeris pompa, sepultusque in Basilica Vaticana, cujus erat Canonicus. Fuit in eo præter ingenii doctrinæque præstantiam forma quædam expressa veteris officii, innocentiæ, probitatis. Sua enim agendi ratio aperta erat ac simplex, non fucata, non erudita artificio simulationis aulico, sive etiam Urbano. Ab ostentatione ac fastu maxime aberat, ac de se ita demisse sentiebat, ut nihil mallet quam vivens moriensque delitescere. Quæ summa animi demissio caussa fuit, cur nonnisi admodum senex Sacerdotio initiari voluerit. Ceterum omnia religionis officia sanctissime semper præstitit. Quotidie meditationi rerum cælestium ceterisque Christiani viri muneribus non modicum tempus tribuebat, isque charitatis ardor, quo in divinis rebus obeundis incendebatur animus, sæpe etiam ex oculis ac

to-

toto ore eminebat. Paullo acrior natura quum esset, atque ad iracundiam proclivior, ita se comparabat, ut diligentissime caveret, ne ante occuparetur animus ab iracundia, quam providere ratio posset: quo factum est, ut ita moderaretur animo & orationi suæ, cum esset iratus, ut nulla vehementior concitatio appareret, nullum non modo maledictum, aut convicium, sed ne verbum quidem illi paullo acerbius elaberetur. Præter necessarium parabilemque vitæ cultum ceteris commodis carere facile poterat. Temperantiæ vero suæ maximum cepit fructum, quod tam bona prosperaque valetudine usus sit, nunquam ut in vita medicina indiguerit; atque ad extremam senectutem is esset totius corporis habitus, is oculorum vigor, ac vultus color, ut dissimularet ætatem. Quotidie, nisi pluvia impedimento esset (caloris enim aut frigoris intemperiem, ventorumque vim negligebat) horis pomeridianis circa Urbis mœnia curru delatus, mox prolixæ deambulationi indulgebat. Quanquam solitudine mirum in modum delectaretur, non tamen ab hominum præsertim doctrina præstantium consuetudine ac familiaritate abhorrebat: eaque in amicorum congressibus humanitate, comitate, modestia utebatur, ut omnium sibi existimationem benevolentiamque conciliaret. Hactenus de vitæ genere, quam egit Lucchesinius: nunc de studiorum illius, scriptorumque ratione dicendum. Neque enim vita hominum literatorum actionibus, quæ plerumque communes cum aliis sunt,

T ne-

neque quicquam habent admirationis, sed scriptis eorum continetur. Quicquid ipsi monumentis literarum prodiderunt dignum, quod legatur a posteris, hoc, quodcumque est, propria illorum vita ducenda est, quæ non certo naturæ termino definitur, sed viget etiam post eorum interitum, atque immortalitati propagatur. Venio igitur ad Scripta Lucchesinii, qui eam animo opinionem imbiberat, neminem excellere in scribendo posse, nisi ab assidua veterum Latinorum, Græcorumque lectione illam elegantiæ, simplicitatis, gravitatisque formam hauriat atque arripiat, unde existit illud perfectum scribendi genus, quod nemo non laudat, & pauci assequuntur. Latinos ille igitur Græcosque classicos Scriptores veteres nocturna diurnaque manu versabat: Livii vero lectione ita delectabatur, ut plus tricies totum perlegerit. Is tamen etiam recentiorum libris temporis plurimum tribuebat, qui sive in mathematicis, sive in philosophicis disciplinis; quas apprime callebat, novi aliquid afferrent. Ampla hac pulcherrimaque rerum verborumque supellectile instructus, ad scribendum accessit. Hic tamen, quæ fuerint de ejus Scriptis eruditissimorum hominum judicia, afferemus; de nostro silebimus, ne forte benevolentiæ, pietatique, qua illius memoriam jure prosequimur, tribuisse plus videamur, quam veritati. Atque illud in primis mirantur omnes, quod cum magna ex parte Lucchesinii ætas in ea tempora inciderit, quibus nescio quo fato pravum quoddam scribendi genus atque a ve-

te-

terum imitatione prorsus alienum in Italia obtineret, ejus pravitatis adeo expers fuerit, ut potius in alteram partem peccare visus sit nimis severæ castigatæque orationis. Gravior itaque nonnullis scriptor, quam suavis videri solet, quod minus voluptati aurium studeat; dumque omnia religiosissime ad veterum imitationem effingit atque exigit, minus numerosa ejus cadat oratio. Incredibile dictu est, quanta literariæ reipublicæ approbatione non in Italia solum, sed etiam in Germania, in Gallia excepta fuerit XII. Demosthenicarum orationum Latina interpretatio. Eam Rollinus latinæ græcæque linguæ studiosis proponit ad legendum. Gravina autem cum in publico literatorum hominum cœtu Lucchesinium offendisset, illi palam maximopere gratulatus est, quod ea interpretatione græcarum latinarumque literarum gloriam fere unus in Urbe pulcherrime sustineret. Muratorius denique ad Lucchesinium scribens præter ceteras laudes, *o Te felicem*, inquit, *qui in utraque lingua civem agere potes*! Sed quum non omnibus de optimo interpretandi genere una sit eademque sententia; alii enim negligendam esse elegantiam, dum constet interpretis fides; alii de fide aliquid detrahendum, ut elegantiæ sit locus; alii mediocritatem quandam tenendam esse arbitrentur, minus miror non deesse aliquos, qui Volfii interpretationem Lucchesiniæ anteferendam putent: omnes tamen eruditionis plenissimas animadversiones, quibus orationes singulas adornavit, mirum in modum commendant; mul-

tum enim splendoris ac lucis Atticis antiquitatibus attulere. Neque vero, qui oratorum principem latine vertit, oratoria ipse caruit laude. Plures habuit Romæ sive in sacris ædibus, sive in publicis Academiis ac literatorum hominum cœtibus Orationes; sed omnino quatuor in lucem editæ ad posteros pervenere, videlicet: *Oratio de S. Joanne Evangelista*; *Oratio in celebri Arcadum Academia, dum publice plauderet Clementis XI. P. M. inaugurationi, habita*; *Oratio in funere Lusitaniæ Regis Petri II. habita in templo Sancti Antonii ejusdem Nationis, dum ei Regio nomine parentaretur*; *Oratio in funere Clementis XI. P. M.* In hisce orationibus genus quoddam dicendi Atticum sequutus est, ut facile Demosthenis imitatorem agnoscas. Extat etiam alia oratio Etrusco sermone scripta de Picturæ, Sculpturæ & Architecturæ præstantia, quæ ab eo in Academia pulcherrimarum artium recitata est. Sed nulla in re præstantissimum ejus ingenium ac doctrina singularis magis emicuit, quam cum latinam suorum temporum Historiam a Noviomagensi pace adorsus scribendam suscepit. Sed hic, opinor, non erit ab re paucis referre, quibus præsertim de caussis ad tantum ac tam difficile opus animum adjecerit. Vehementer enim dolebat splendidam illam atque magnificam tractandæ Historiæ rationem, qua veteres Græci Romanique Scriptores immortali cum laude usi olim fuissent, penitus obsolevisse; statuebatque in hac literarum luce, atque in ea præsertim ætate, quæ rerum gestarum magnitu-

tudine, ſplendore, copia nulli ſecunda eſſet, nihil deſiderari magis, quam Hiſtoriam ad veterum imitationem diligenter exactam: nunquam plures Hiſtoricos, quam ſua ætate, & vero etiam noſtra extitiſſe, nunquam tamen minus Hiſtoriæ conſultum fuiſſe; quod homines, qui maternam linguam vix calleant, & ne vix quidem, a ceteris vero optimarum artium ſtudiis atque doctrina ſint imparati, ad ſcribendum accedant, pareſque ſe tanto muneri arbitrentur: itaque fieri, ut hujuſmodi Hiſtoriæ nullo artificio, nulla verborum elegantia, nulla vi ſententiarum ſcriptæ, qua celeritate in lucem prodeant, eadem intercidant atque extinguantur; dignæ ſane, quæ Annalibus Voluſii comparentur. Ad revocandam igitur veterem illam rationem nihil conſultius fore cenſebat, quam ut quodam veluti Literariæ Reipublicæ decreto ſanciretur, res poſterorum memoria dignas non niſi latinis literis commendandas. Qui enim eſſent ab optimarum artium ſtudiis atque a doctrina minus inſtructi, ac Titum Livium, Saluſtium, Cæſarem, ceteroſque præſtantes Latinos Hiſtoricos, quorum unuſquiſque peculiari quadam laude mirifice excelluit, imitari ſe poſſe diffiderent, a ſcribendo deterrerentur, neque nos futilibus commentariis, hiſtoriiſque vernaculo ſermone perperam ſcriptis quotidie obrueremur. Quid? quod Latina ſua ſe nobilitatis antiquitate tuentur, & ubique gentium perleguntur, cetera vero ſuis continentur finibus, iiſque non admodum magnis. Itaque qui materno, quam

latino ſermone malunt pulcherrimarum maximarumque rerum notitias poſteris tradere, non minus ſuæ, quam eorum, de quibus ſcribunt, gloriæ magnopere invidere putandi ſunt; quod multo certe honorificentius ſit non ſolum apud ſuos, ſed etiam apud exteras, immo apud omnes gentes cognoſci ac celebrari. Huc accedit, quod ea vis eſt & natura Latini ſermonis, ut ab eodem Hiſtoria quandam dignitatem, vires & nervos mutuari videatur. Jam vero quanquam Luccheſinius ea eſſet modeſtia præditus, ut Latini Hiſtorici perſonam cum dignitate aliqua ſuſtinere ſe poſſe diffideret, ea tamen fuit magnitudine animi, ut ſuo conatu aliis incitamento eſſe vellet. Et certe in Hiſtoria, quam ſcripſit Luccheſinius, ſibi imitandum propoſuit quicquid in ſingulis antiquis Hiſtoricis admirationem habet, ac legentium animos percellit atque afficit, ut dolendum propemodum illi defuiſſe otium, quo tam egregium laborem ad tria volumina jam perductum prorſus abſolveret. Hoc autem poſtremo loco libet addere, quod tamen minime ſejunctum a re propoſita videri poteſt, Patriæ quidem meæ jure eſſe gratulandum, quod in tanta præſtantium Hiſtoricorum inopia duos uno ferme eodemque tempore tulerit præſtantiſſimos Latinos Hiſtoricos Luccheſinium ſcilicet, & Caſtruccium Bonamicium fratrem germanum meum, qui Luccheſinii exemplo excitatus, de rebus ad Velitras geſtis, deque Italico bello Latinos Commentarios edidit. Hoc enim vere & ſine ullo arrogantiæ metu affirma-

ma-

mare posse videor eosdem Commentarios ob summam scribendi elegantiam & vim, atque ob summam veterum imitationem adeo germanæ Latinitatis amatoribus probatos fuisse, ut in publicis aliquot Italiæ, Bataviæ, Angliæque ludis cum Cæsare, Sallustio, Livio prælegi vulgo soleant. Illud enimvero graviter deplorandum, tam breve illi fuisse vitæ curriculum, qui tam facile posset ætatis res gestas suæ immortalitati commendare; quum in ea Historiæ parte, quam attigit, non Historicus unus e multis, sed inter multos prope singularis fuisse videatur.

OPERA EDITA.

DEMOSTHENIS ORATIONES XII. de Republica ad populum habitæ, Latio donatæ a Jo. Vincentio Lucchesinio Patritio Lucensi cum Notis criticis & historicis, & cum Græco Textu ad SS. D. N. Clementem XI. P. M. Romæ 1712. *in* 4.

JO. VINCENTII LUCCHESINII Patritii Lucensis Historiarum sui temporis a Noviomagensi pace Volum. III. in 4. *Primum volumen editum fuit Romæ a Petro Ferrio, secundum & tertium ab Hieronymo Mainardio an.* 1738. *in* 4.

ORATIO de S. Joanne Evangelista Romæ 1700. *in* 4.

— *in celebri Arcadum Academia dum publice plauderet Clementis XI. P. M. inaugura-*

tioni, habita a Jo. Vincentio Lucchesinio Lucensi Romæ 1701. *in* 8.

ORATIO in funere Serenis's. Lusitaniæ Regis Petri II. habita in templo S. Antonii ejusdem Nationis, dum ei regio nomine parentaretur &c. Romæ 1707. *in* 8.

ORAZIONE in lode delle belle arti del Disegno. Roma 1722. *in* 4. *gr.*

PHI-

293

PHILIPPI BONAMICII

DE VITA CASTRUCCII FR.

COMMENTARIOLUM.

PETRUS JOSEPHUS (qui & CASTRUCCIUS) anno MDCCX. Lucæ natus est in vetusta, ac hominum ingenio præstantium altrice BONAMICIA Domo, quam porro suis ipse literarum monumentis maxime illustravit. Excellenti enim fuit, sed præfervido ingenio, quodque ferociam quandam, libertatemque præseferebat, ut minus eluceret, cum se præcipientium doctrinæ accommodabat, emineret vero, cum sua sponte, arbitratuque impelleretur. Non idcirco tamen temerario atque incondito quodam ferebatur impetu; acerrimo enim, quod legendo, meditandoque efformaverat, judicio, id præsertim sibi præscripserat, ut minuta atque exilia negligeret, ampla ac grandia sedulo, studioseque consectaretur. Nulli se doctrinæ præcipue addixerat; cujuslibet enim elementa perdiscendi molestiam ferre vix poterat. Ipsa tantummodo trahebatur ad literas voluptate, quam potissimum in veterum Græcorum, Latinorumque scriptis lectitandis, memoriæ mandandis, imitandisque percipiebat. Quod non ad illam elegantiæ, simplicitatis, gravitatisque formam fictum, expressumque esset, fastidiebat, abiiciebatque. Quare a natura factus ad facilem optimarum rerum imitationem, cum animum plurima jam lectione imbutum adiiceret ad scribendum, ipsa, quæ mente comprehenderat exempla, non verborum tantum nitore atque ordine, sed & sententiarum vi ac dignitate re-

fe-

ferebat. Quum enim in illis doctrinarum fontibus diu hæſerit, & quodammodo habitarit, animum plurimarum atque maximarum rerum cognitione compleverat, atque ad liberæ cujuſdam, ingenuæque doctrinæ modum, uſumque temperaverat atque ſubegerat.

Hinc civilem callebat ſcientiam; de humanæ naturæ indole, de varietate morum, de affectibus excitandis, moderandis, regendiſque acute, ſagaciterque diſputabat. Multum in veteri, recentiorique etiam cognoſcenda verſabatur hiſtoria, quam penitus perſpectam habuit, atque ex Xenophonte, Polibio, Cæſare, Livio, quos diu volutaverat, excellentem animo res geſtas ſcribendi formam præceperat, quam deinceps in Commentariis de Rebus ad Velitras Geſtis, deque Italico Bello vel expreſſit, vel ſi id dictum videatur audacius, felices ad exprimendum niſus edidit. Tanta elegantiæ, ac nitori conjuncta vis, ac gravitas elucet, tanta explicandarum rerum, actionum, conſiliorumque omnium ratio, ut quum ad veritatem cuncta exigi in ſcribendo appareat, ſenſim in animum illabatur una cum plurima jucunditate fides. Ac ne, quæ deſcribenda ſuſceperat, armorum uſum, bellicam artem ignoraret, ſtipendia facere in Neapolitano Caroli Regis exercitu voluit, iiſque rebus, quæ narranda ſibi erant, intereſſe. Atque exinde Caſtruccii nomen aſſumpſit, ut præclariſſimi Ducis Civis ſui memoria vehementius ad bellicam laudem incenderetur, ac gloriam. Quo tamen major Caſtruccio illi alteri in bellis uſus,

ſus, ac honor fuit, eo huic noſtro ad literas fuit, quam ad pugnas, ſupellex inſtructior. Ut in Italico bello exponendo propius accederet ad veritatem, Ciſalpinam, qua id geſtum erat, luſtravit Galliam, locaque omnia itinerum, Caſtrorum, præliorumque exploravit. Præſertim Genuæ, ne quid ad illius percelebris obſidionis deſcriptionem deeſſet, immoratus eſt diu.

In Poeſi quoque latina non vulgariter inclaruit, ut ex elegantiſſimis, miroque numerorum artificio conjunctis verſibus, quos vel ad Catulli, vel ad Horatii temperavit ſtylum, conſpicitur.

Adoleſcentiam in Piſana, Patavinaque Academia, reliquam vero ætatem vel Romæ, vel Neapoli tranſegit. Militaris muneris ratio Neapoli detinebat invitum, unde, cum licebat, Romam cupidiſſime convolabat, vel quod veterum illorum, quos admirabatur, maxime patriam ſedem adamaverat, vel quod ingeniorum cultricem urbem, fautricemque cognoverat, vel demum quod amicorum, quos illic ſibi devinxerat, conſuetudine delectabatur. Amicitias enim non aſſentatorio, aulicoque more, ſed ingenue & ſine ambitione excolebat; proinde iis præcipue utebatur perpaucis, quos politiori ingenio, elegantique doctrina præſtare noverat, quorum pleroſque in carminibus ſuis commemorat. Præ ceteris vero Cajetano ſe Fortio Romanorum Præſulum doctiſſimo, atque ad omnem laudem virtutemque inſtructiſſimo in intimam tradiderat familiaritatem & fidem; ſe ab eo non ob fortunam, ſed ob animi

mi

mi candorem, ingeniumque æſtimari quum cerneret, in eodem diligendo, colendoque erat obſervantiſſimus. Philippum etiam majorem natu fratrem, & ipſum Latinum Scriptorem (ut ex illius de Claris Pontificiarum Epiſtolarum Scriptoribus libro apparet) non ob naturæ conjunctionem tantum, ſed ob ſtudiorum ſimilitudinem ſingulari quodam amore & pietate proſequebatur. Principum etiam virorum, ad quam non aſpirabat nimis, non caruit tamen gratia.

Trojanus Cardinalis Aquaviva, cujus hortatu conſcribendam ſuſceperat hiſtoriam, ſua commendatione a Carolo utriuſque Siciliæ Rege honeſtiorem in militia locum impetravit.

Philippus Borbonius Parmæ, Placentiæque Dux, cui alterum de Italico Bello volumen inſcripſerat, ipſum, Familiamque ejus perpetuo Comitis diplomate decoravit. Genuenſis Reipublicæ Senatus, cui tertius eorumdem Commentariorum liber inſcriptus fuit, decreta de eo fecit ampliſſima. Benedictus vero XIV. Pontifex poſt hominum memoriam doctiſſimus, & doctorum hominum amantiſſimus, magno Caſtruccii ingenio, pulcherrimiſque Commentariis delectatus alterum ætatis ſuæ Cæſarem appellabat. Quin immo non vulgari Pontificis apud Regem commendatione factum eſt, ut ſtipendia illi extra ordinem aucta fuerint majorem in modum. Ad Aulæ nihilominus tolerandas moleſtias natura fuit impatiens, apertoque de multis, ac libero ſermone in potentiorum Aulicorum offenſiones incidebat; proinde

de

de nunquam eam, quæ illi debebatur, fortunam eſt conſequutus, & quam habuiſſet, ſi in alia tempora tantum hominis ingenium incidiſſet.

Animo erat pluſquam pro cenſu liberali, pecuniæque, quam facile profundebat, plerumque indigens. Quare quum uſu tam auri, quam honorum, ac gloriæ fuerit cupidiſſimus, ſive animi ægritudine, ſive etiam vitæ intemperantia in longum ac permoleſtum aquæ intercutis incidit morbum, cujus initia negligens, ac deinceps incrementa ſentiens Neapoli in patriam ſe contulit, ubi diu conflictatus cum valetudine, demum de vita non tam ex medicorum ſententia, quam ex virium aucta imbecillitate deſperans, nihil reliqui fecit, quo per Religionem expiaret animum, ac Divinum Judicem jam prope adventantem, ſibi exorabilem, placabilemque redderet. Demum magno Civium, literatorumque hominum mœrore annum agens vix non L. obiit Lucæ, honorificeque elatus ac ſepultus eſt in Æde Vincentio, & Anaſtaſio ſacra.

IN-

INDEX

RERUM MEMORABILIUM
QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

Numerus paginam indicat.

A

Al-

Ar-

 Be-

Col-

D

E

Emal-

in

Go-

H

Her-

L

La-

Ma-

No-

P

Poe-

mnium-

R

Ro-

S

Scal-

Agen-

T

V

ta-